





STATVTA CIVITATIS AQVARVM.



AQVIS,
EX OFFICINA TYPOGRAPHICA
PETRI IOANNIS CALENZANI.
ANNO DOMINI M DC. XVIII.



STATVTORVM CIVITATIS AQVARVM.

LIBER PRIMVS.

In quo de Officijs, & Administrationibus Tractatur.

PROEMIVM.

QVIA parum est ius in Ciuitate esse, nisi sint qui iura reddere possint; vt inquit Pompon. in l. 2. §. post originem ff. de origin. Iur. Igitur primum de Electione Prætoris, tum deinceps de Electione cæterorum Officialium Cōmunis, ac de Officijs, & administrationibus eorum statuendum est.

DE ELECTIONE PRAETORIS. Cap. 1.

STatuitur ergo, quod Communitas, & homines Ciuitatis Aquarum possint quandocunq; voluerint se se regere per Consules dictæ Ciuitatis; Si vero Magistratum extrinsecum habere maluerint, quam per Consules Regi, quod quolibet anno in Festis Natiuitatis Domini nostri IESV CHRISTI tempore mutationis, & reformationis Consilii, quod mutari, seu reformari consueuit in die Sanctorum Innocentium liceat congregato Consilio proponere nomen alicuius Doctoris, vel Nobilis, qui non sit Ciuis Aquarū, nec ipse, nec aliquis de eius Familia Aquis habitet, nec habitauerit per triennium antea, & illud scribi facere per Notarium Communis in libro Consilii, & vbi multa nomina scripta fuerint, fiat vnus rotulus, in quo tres, in quo maior pars Consilii consenserint describantur, & quod dictus rotulus, in circulo rotundo factus transmittatur clausus ad præfatū Illustrissimum Dominū Marchionem Montisferrati cum litteris Cōsilii, & quem ipse per litteras cōfirmauerit, sit Prætor per annum

vnum dumtaxat in calendis Ianuarij inchoandum, & in eisdem calendis reuoluto anno finiendum, teneantur deinde Sindici per litteras suas monere deputatum in Prætorem, vt veniat ad faciendum introitum in magistratu suo in prædictis calendis Ianuarij, & dictæ litteræ registrentur in libro consilij, & si Prætor distulerit aduentum suum detrahatur tantum de eius salario ad ratam temporis, quo introitum facere prorogauerit, & si electio Prætoris aliter quam modo prædicto facta fuerit sit ipso iure nulla, & si aliqua acta finito anno sub eo agitata fuerint similiter sint ipso iure nulla, nec ipse Prætor possit tacitè, vel expressè confirmari vltra annum, nec in Prætorem denuo eligi, nec deputari nisi post lapsum triennij à die quo magistratum exierit, & prout in sequenti capitulo latius dicetur.

De Iuramento Prætoris. Cap. 2.

IVrabit Prætor in introitu Officij in manibus Sindicorum, vel alterius eorum post præsentationem litterarum suæ deputationis, quæ describantur in libro communis per Notarium communis, quod bona fide, & sine fraude faciet regimen dictæ Ciuitatis, & quod diligenter totis viribus custodiet, & defendet vniuersitatem, & Ciuitatem Aquarum quo ad personas, & bona ad honorem, & quietem communis, & reipub. Aquen. & quod illi fidelis erit iusq; omnibus Ciuibus Aquarum, & ibi habitantibus, & maxime Ecclesijs, pupillis, & minoribus, viduis, ac alijs miserabilibus personis ministrabit secundum formam statutorum infrascriptorum, & aliorum si quæ fieri, & reformari continget remotis amore, timore, prece, premio omniq; humana, & illicita gratia, & quod statuta, & ordines, ac bonas consuetudines, & reformationes Ciuitatis Aquarum, tam factas, quam faciendas, durante eius regimine obseruabit priuilegiaq; conuentiones, exemptiones, immunitates, & franchisias prædictæ Ciuitatis quo ad poterit defendet nullas penas, mulctas, vel condemnationes dictæ Ciuitatis, seu communi spectantes cameræ Marchionali applicabit, & quod demum ea omnia fideliter, & sine fraude faciet, quæ ad eius officium pertinebunt, & quod finito anno dicti sui officij statim exibit de palatio Communis, & seorsum habitabit, & Sindicatum tenebit, nec à Ciuitate recedet, vsque quo finitum fuerit tempus Sindicatus sui, iurabit quoq; se non refirmare in dicto officio vsq; ad tres annos elapsos finito dicto suo officio, & quod non procurabit per se, nec per interpositam personam in dicto officio ante finē dictorū trium annorum refirmari, nec in Prætorem dictæ Ciuitatis deputari, & quod statim

& incontinenti pro præmissis omnibus obseruandis Idoneæ fideiubebit,& absolutionem à dictis iuramentis non petet,statuitur insuper quod nullus Prætor aliquo modo tacitè, vel expressò in dicto officio vltra annum confirmari possit minusq; in Prætorem dictæ Ciuitatis eligi, vel deputari nisi post lapsum triennij à die finiti eius officij, & si infra dictum triennium refirmaretur ,& Potestas dictæ Ciuitatis deputaretur quæcumq; acta per eum, & coram eo interim facta, & agitata sint ipso iure, & facto nulla ita, quod acta huiusmodi patientia, tolerantia, taciturnitate, cursu temporis, vnquam possint conualidari, nec vires sumere, & quilibet possit siue pro suo, siue pro alieno interesse de huiusmodi nullitate actorum opponere quandocumq; sibi visum fuerit expedire,quod quidē statutū sit præcisum,& inuiolabiliter obseruetur perpetuis temporibus, ita quod non possit mutari, vel cassari consilio, vel cunctione etiam si consilium, vel concio contrarium ordinauerit, & qui pro reformatione concionatus fuerit,vel in cōsilio proposuerit de ipso reformando soluat communi pro banno,& qualibet vice solidos centum Asten. in denarijs numeratis, & qui fuerit de illo partito, seu voto talem potestatem refirmandi soluat vtsup. solidos sexaginta Asten. & à consilio remoueatur, nec ad illud restitui possit vsque ad quinq; annos, & Potestas, seu Rector, qui posuerit, vel permisserit poni consilium de prędicto statuto, cassando, mutando, irritando, vel contra illud ordinando, ammittat de suo salario libras decem Asten. quas libras decem solidos centum,& solidos sexaginta Potestas, & Rector sequens,& alij sequen. exigere teneantur infra dies quindecim à principio sui regiminis præcise, & sine mora in denarijs numeratis alioquin teneātur soluere vel compensare communi Aquis summas prędictas de suo salario.

De Officio Pretoris. *Cap. 3.*



Fficium autem Prętoris erit, vt infra dies quindecim postquam Magistratum assumpserit, & iurauerit vtsupra proclamari facere in locis publicis, & consuetis Ciuitatis per nuntium communis proclamationes solitas, & præsertim quod nullus audeat laborare in diebus festiuis de quibus dicetur infra in capitulo de festiuitatibus celebrandis, nec Blasfemare Deum &c. nec ludere, ad ludos prohibitos, nec Barratariam domi suæ tenere, & quod pondera, seu mensuræ iustentur, & signentur, & quod nemo vendat vltra extimum,& prefigere terminum infra quē Mercatores, Artifices, & alij quouis modo quæstum facientes iurasse debeant in manibus eius solemniter de exercendo artem suam fideliter, & iuste, & sine fraude, prouidebitque expen. Communis, quod ha-

beantur Campiones omnium ponderum,& mensurarum eorum quæ ponderantur,& mensurantur in Ciuitate Aquis,quæpondera,& mensuras venden. & ementium iustare possit. Sedebit in Palatio Communis bis in die videlicet hora tertiarum,& hora vesperorum, præterquam in diebus festiuis,& Nundinarum,& diebus Veneris, quibus mercatus fieri solet, ius redditurus omnibus petentibus, aut se de aliquo conquerentibus si ab eis, aut aliqua partium fuerit requisitus. Præsens quoque erit calculis,& rationibus faciendis per Rationatores Communis, cum Clauario alijsq; debitoribus Cōmunitatis, & eius bona quouis modo administrantibus si fuerit requisitus,& non aliter neq; vltra, & procurabit, quod dicti calculi, & rationes fiant sine dolo, vel fraude, si ad illis interessen. requisitus fuerit fauebit executionibus condemnationum talearum imprestitorum ,& omnium onerum, quæ imponentur, concedet consilium ad omnem requisitionem Sindicorum, vel alterius eorum nisi quando immineret tumultus, aut seditio vel dubitaretur de aliqua machinatione contra commune,& Rempub. Aquen. aut si ageretur de aliqua donatione bonorum Communitatis facien. illud etiam non permittet fieri diebus festiuis nisi ex aliqua neccessaria, & vrgenti causa eiq; intererit vsq; ad finem, & prouidebit ne quid in eo tumultuose agatur Officiales Communis debitis,& consuetis temporibus eligi faciet præerit omnibus subhastationibus rerum,& bonorum Communitatis saltem quando deliberabuntur si requisitus fuerit. Non consentiet alienationi bonorum Communitatis, nisi magna necessitas, aut euidens publicaq; vtilitas exegerit proclamari faciet suis temporibus omniaq; per statuta proclamari debent, vel quæ per Consilium ordinata fuerint proclamari debere accedet si fuerit requisitus cum extimatoribus male pagarum ad loca quarumcumq; differentiarum , seruitutum, confinium, acqueductuum, latrinarum, cloacarum, & eas decidet cum dictis extimatoribus si opus erit non comedet, neq; bibet alibi quam in Palatio Communis, vel nisi cum aliquo Religioso, vel in conuiuijs generalibus, aut sponsalibus, vel nuptijs, non stabit absens à Ciuitate vltra octo dies, absq; licentia Sindicorum, & quæ licentia non possit ei dari nisi quater in anno, sub pęna ammissionis sui salarij pro rata temporis quo absens steterit,non possit pro tempore quo absens fuerit aliquem substituere, nec dimittere Locumtenentem, qui ius reddat præterquam Consules alias acta omnia coram alio, quam coram Consulibus pro dicto tempore agitata sint ipso iure nulla ducet secum , & toto anno tenebit vnū sufficientem Millitem suo salario, & impensa sub eadem pęna amittendi salarium pro tempore, quo eum non tenuerit , incedet per Ciuitatem si Doctor fuerit , saltem in diebus Festiuis Doctoreis vestibus indutus pro honore Ciuitatis restituet Sindicis, vel Clauarijs in fine sui

ne sui regiminis, quæcunque suppelectilia bonaq; & scripturas Communitatis, quæ ad eius manus peruenerint, & demum statuta Ciuitatis Aquarũ, & eorum reformationes infra decem dies post eius introitum perleget, vt sciat quicquid eum facere, & obseruare oporteat, & illud diligenter faciet, & obseruabit.

De Iurisdictione Prætoris. Cap. 4.

COgnoscet Prætor, & diffiniet omnes, & quascumq; causas ciuiles, & criminales, & mixtas Aquis vertentes cum mero, & mixto imperio, ac omnimoda iurisdictione, ac ex officio inquiret de omnibus, & quibuscumq; delictis, & maleficijs etiam de his de quibus facta fuerit accusatio, vel querella, seu denuntiatio, & procedet contra quoscumq; delinquentes, & malefactores, & contrauenientes statutis Ciuitatis Aquarum, & prout continetur in conuentionibus initis cũ Illustriss. D. Marchione Montisferrati, quæ describentur in calce præsentium Reformationum. Habebit auctoritatem, & potestatẽ imponendi quibuscumq; ciuibus Aquẽ. & in Ciuitate Aquarum, vel eius territorio habentibus pęnas, & mulctas in suis pręceptis ciuilibus, vel criminalibus prout ei videbitur, & placuerit dummodo pęnę ipse non excedant florenos tres pro singulo præcepto, & singula vice, nisi qui ter personaliter citatus coram eo comparere eiq; parere noluerit quo casu possit eum mulctare vsq; ad florenos decem, coget quoque per pęnas, & mulctas suo arbitrio imponendas vtsupra quoq; Officiales, & Consiliarios ad veniendum ad consilium, & ad acceptandum, & exercendum officium ad quod assumpti fuerint quotiescumq; in consilium venire, & officium suum acceptare, & exercere recusauerint, necnon Officiales ipsos cõpellet iuris remedijs ad reddendũ rationẽ de administratis, & eos puniet si male versati fuerint in eorum officio inspecta qualitate personarum, & pro modo culpæ, & negligentia per eos commissa.

De salario Prætoris. Cap. 5.

HAbebit autem Prætor pro suo salario, quod ei solui debebit per clauarum Communis singulis tribus mensibus pro rata florenos trecentum ad rationem grossorum decem monete pro tempore currentis in Ciuitate pro floreno.

Item dimidiam quarumcumq; datarum causarum ciuilium, quæ coram eo ventilabuntur, & tertiam partem bannorum campestrium, & aliarum pęnarum Communitati applican.

Item pro sigilo legalitatis alicuius Notarij solidos nouem, & totidem pro sigilo testimonialium.

Itē pro sigillo quarumcunq;litterarū,sub eius nomine factarū solidos tres.
Item pro examine testium in causis à florenis vigintiquinque infra, solidos sex pro quolibet teste, & ab inde supra.
Item pro quacumq; condemnatione absq;aliqua contumatia solidos tres, & vbi interuenit contumatia solidum vnum cum dimidio,& tantū detur Communitati pro qualibet contumatia, vt discant citati quam primum comparere, & expensas euitare.
Item habebit pro quolibet iuramento litis decisiuo solidos tres.
Item pro qualibet fideiussione inquisiti solidos tres, & tantumdem Notario, & non vltra.
Item pro visitatione alicuius loci intrà Ciuitatem, solidos extra verò Ciuitatem, solidos
Item pro quacumq;exequtione peccuniaria denarios sex pro singula librá, quæ omnia soluentur à parte petente, seu requirente, facta prius executione, & non aliter, eodem modo soluatur sallarium executionis collaterali. Et Nuntio ad expensas deinceps partis succumbentis.
Habebit quoque pro immiscione in possessione, seu concessione familiæ de associando aliquem in possessionem alicuius predij rustici, vel vrbani grossos quinq; Et pro qualibet interpositione decreti à viginti florenis supra solidos & abinde infra ad arbitrium partis, quæ eum requisiuerit, & præter supradicta non possit aliquid quouis modo per se, vel per interpositam personam ab aliquo accipere, nisi forte Communitas propter aliqua seruitia ei aliquid vltra erogare voluerit.

De Sindicatu tenendo per Prætorem. Cap. 6.

Stabit Prætor in fine sui officij, & regiminis in Sindicatu per dies decem continuos, hora tertiarum, per horam vnam ad minus singula die in Palatio Communis, & coram Sindicatoribus, qui electi fuerint responsurus omnibus, qui contra eum petitiones, seu querellas dare voluerint modo,& forma de quibus infra, in cap. de officio Sindicatorum Prætoris seriosius continetur.

De fideiussione præstanda per Prætorem. Cap. 7.

Ceterum fideiubebit Prætor statim cum introitum in Magistratu suo fecerit versus Sindicos in personam alicuius Ciuis Aquen. vel habitantis, & ibi bona immobilia in territorio Aquen. possidentis, seu alicuius de dominio Illustriss. D. Marchionis Notario Communis instrumentum recipiente pro omnibus quorum interesse poterit

quo-

quomodolibet stipulante, quod omnia, & singula in suprascriptis capitulis narrata adimplebit, & obseruabit, & præsertim, quod Sindicatum suum debito modo, & ad formam Statutorum Aquen. tenebit.

De Millite, seu Collaterali Prætoris. Cap. 8.

Miles, seu Collateralis Prætoris erit de dominio Illustrissimi Domini Marchionis si fieri poterit, nec erit de Aquis, nec qui ipse vel eius familia ibi habitet, nec qui fuerit miles per biennium antea iurabit solemniter in manibus Prætoris officium suum bene legaliter, & fideliter exercere, officium autem eius erit assistere Prætori ad banchum iuris dum ius redditur, vel consulibus si Prætor absens, vel infirmus fuerit faciet omnes executiones reales, & personales sibi per Prætorem, aut Consules respectiue commissas, & contra quascumq; personas abstinebit ab omni extorsione, visitabit pondera, & mensuras, & carnes macellandas saltem cum extimatoribus Communis quoties fuerit requisitus, & quos reperiet contrafacere statutis consuetudinibus, & ordinibus Ciuitatis proclamationibusq; factis Prętori, vel Consulibus si ipsi iusdicent denuntiabit repertos quoque dare damnum in rebus alienis intus, vel extra Ciuitatem suo iuramento accusabit. Ibit cum Prætore pręsertim cum is accedet ad diuina officia, vel pro aliqua executione, aut pro alio publico, vel priuato negotio, non comedet, neq; bibet in aliqua taberna, seu hospicio, nec in domo alicuius priuati, nisi cum Prætore non dabit damnum in predijs, & hortis alicuius sub pena dupli eius quod alius incurret non incantabit, nec ad incantum emet aliquid de bonis Communitatis, vel alicuius priuati, sub pena solidorum triginta pro qualibet vice, & ammissionis rei qua sub hasta emerit, purgari, & obturari faciet latrinas, & cloacas, ne fętore immittant, & curabit, quod vie publice in Ciuitate quolibet Sabbato mundentur, habebit pro sua mercede, & salario à Prętore quicquid cum eo conuenerit. Item pro quocumq; pignore intra Ciuitatem solidum vnum cum dimidio extra vero Ciuitatem solidos tres. Item pro detentione, seu arresto alicuius ciuis Aquarum, aut ibi habitantis solidos sex pro detentione autem forensis solidos nouem. Item pro singulo die excepto primo quo quis steterit detentus, vel incarceratus in palatio communis, sub eius custodia solidos sex si fuerit ciuis, aut habitans Aquis, si fuerit forensis solidos nouem. Nihil tamen capiet si quis fuerit detentus, & incarceratus indebite, & iniuste sub pena dupli eius quod capiet applican. pro dimidia detento, & pro altera dimidia communi: Item pro quacunq; associatione in possessione alicuius predij intra Ciuitatem solidos sex extra vero Ciuitatem solidos nouem. Item pro quacunque

accu-

accusatione quam faciet tertiam partem banni, vel penæ. Et si huic capitulo contrafecerit stabit ad Sindicatum cum Prætore, & soluet, ac satisfaciet pro omni, & toto eo in quo per Sindicatores Prætoris fuerit condemnatus fideiubebit autem in introitu officij versus Sindicos, quod omnia, & singula prædicta obseruabit, & maxime, quod Sindicatum tenebit nisi Prętor pro eo fideiusserit.

De Consilio, & eius Mutatione, seu Reformatione. *Cap. 9.*

Consilium Aquen. sit viginti proborum virorum, qui sint ex antiquis, & melioribus familijs, & de maiori registro, nec possit quis de cōsilio esse, qui non sit ciuis Aquarum, & qui ibi non habitauerit per annos triginta nisi tanti esset consilij, & dignitatis, quod videretur duodecim hominibus de maiori registro, & antiquioribus dictæ Ciuitatis vnanimiter concordibus debere in consilium proponi, quo casu possit admitti si toti generali consilio visum fuerit, & placuerit, non etiā eligi possit in consiliarium, qui non habeat ad minus solidos sexaginta registri, nec aliquis minor vigintiquinq; annis possit tamen consilium dispensare super ætate, quando idoneus videretur, nec hereticus vsurarius, aut alius infamis, nec qui sit debitor Communitatis, nec cum ea litigans, nec qui non sustineat omnia onera in communi, nec duo de eadem familia, seu agnatione, vno atq; eodem tempore, mutetur autem, vel reformetur consilium bis quolibet anno videlicet in fine mensis Decembris pro sex mensibus prox. sequuturis, & in fine mensis Iunij pro alijs mensibus sex immediate sequentibus, fiatq; mutatio, seu reformatio prædicta per Consiliarios de consilio sex mensium præcedentium electos ad breuia more solito, qui habeant auctoritatem, & potestatem consilium ipsum mutandi, seu reformandi prout eis videbitur eligendo tamen viros magis idoneos, & habentes qualitates suprascriptas, iurabuntq; prius in manibus Prætoris, vel Consulum si ipsi regimen Ciuitatis habebunt formiter, quod ita obseruabunt, & quod prædictam electionem facient sine dolo, vel fraude, ac remotis omnibus remouendis. Si autem aliquis ex Consiliarijs mortuus fuerit, aut capitali crimine damnatus, aut bannitus, vel excommunicatus, vel senio confectus, vel citatus parte Prætoris, vel Consulum respectiue, tribus vicibus sine iusta causa non interfuerit, siue extra Ciuitatem per decennium contraxerit domicilium propositione prius de eo facta in consilio alius in eius locum à consilio, vel à maiori parte consilij idoneus subrogetur intra mensem. Proponaturq; semper alius qui sit de eadem familia, vel agnatione, si idoneus repertus fuerit.

De Iuramento Consiliariorum. *Cap. 10.*

IVrabunt electi in consiliarios in manibus Prætoris, vel Consulum si ipsi regimen habebunt tactis corporaliter scripturis, quod nihil machinabunt, nec machinari pro viribus permittent contra commune, & rempub. Aquen. & quod obedient Prætori eiq; auxilium, & fauorem pręstabunt etiam conuocatis, & congregatis hominibus si opus fuerit idem facient Consulibus si ipsi iusdicent, vt officiũ suum exercere, & quascumq; executiones reales, & personales contra quamcumq; personam facere valeant, eosq; defendent ab omni iniuria reali, seu personali iurabunt itidem, quod quotiescumq; pulsabitur campana communis pro consilio ad illud statim veniẽt nisi iustum habuerint impedimentum suo iuramento proban. quodq; consulent fideliter, & pertractabunt mature, & sine tumultum negotia omnia vniuersitatis. Non recedent à consilio sine licentia Prætoris. Item quod in electione Magistratuum, & Officialium communis, eligent semper idoneas ad formam, & tenorem præcedentis capituli, quod eis legatur, & vulgarizetur per Notarium cõmunis, & quod nihil simul tractabunt in consilio, vel extra intra se se mendicando suffragia, vel cum alijs personis, quod sit contra honorem consilij, & in detrimẽtum Reipublicę, & quod officium aliquod, seu administrationem, non petent, nec habere procurabunt, sed prout fuerint electi officium ipsum, seu administrationem assument, & fideliter gerent. Item quod non reuelabunt alicui dicta, & tractata in consilio si fuerit eis per Prætorem, vel Consules respectiue iniunctum, & quod demum statuta, & consuetudines, priuilegia, immunitates, franchisias, & conuentiones Ciuitatis Aquarum, quo ad poterunt defendent, custodient, & conseruabunt.

De Modo, & Ordine tenendi Consilium, *Cap. 11.*

MOdus, & ordo tenendi consilium erit, vt Sindici, vel alter eorum prius adeant Prætorem, seu Consules si Ciuitas per consules regetur, & ei, vel eis exponant, quod opus est conuocari, & habere consilium, impetrataq; & obtenta licentia à Prætore, seu Consulibus respectiue illud pulsari facient tribus vicibus, in sero scilicet, & in mane, & in ea hora qua congregari consiliarij debebunt, vel etiam vnico contextu si fuerit necessarium finita vero vltima pulsatione Consiliarij statim venient ad consilium, nec inde recedant absq; iusta causa arbitrio Prætoris, vel Consulum quousq; finitum fuerit hoc est vsque quo ordinata in consilio lecta, & vulgarizata fuerint per Notarium communis, vbi autem congregati fuerint Consiliares scribentur per eundem Notarium eorũ nomina,

& co-

& cognomina in libro cõsilij, nec plusquam tres propositiones in vno cõsilio facient, quæ similiter scribentur vtsupra tunc super eis modeste, & sine strepitu consuletur, & mature ordinabitur vnusq; post alium loquetur, & quæ ordinata, & obtenta fuerint scribentur per Notarium communis in libro consilij sigilatim, & debito modo, & si aliquis particularis voluerit aliquid proponere, aut requirere in consilio scribetur eius propositio, & requisitio in vno libro, qui vocatur liber quærellarum, seu requisitionum priuatorum, & rebene intellecta talis particularis recedet a consilio, & claudetur secundum hostium Palatij, & inter primum, & secundum hostium stabunt Nuntij, & si tractandum erit de aliquo facto, vel negotio, seu causa alicuius Consiliarij. Is inde recedet, nec ipse, nec aliquis eius inimicus, vel qui eum odio habeat intererit consilio, quam diu de tali facto, seu negotio, vel causa tractabitur, & idem faciet Prętor quando de eo, aut eius familia tractare oporteret. Et super omnibus habita matura consideratione, & responsione quicquid ordinatum, & obtentum fuerit scribatur, & vulgarizetur per Notarium Communis antequam Consiliarij recedant eis audientibus, & intelligentibus alias nullius sit roboris, vel momenti, quod si Consiliarij omnes in vnum non consenserint deueniatur ad fabas albas, & nigras, vel ad ballotas, & vbi maior pars fabarum, vel ballotarum erit illa obtineat, & ita scribatur, & obseruetur, nisi agatur de imponenda aliqua talea, vel collecta, aut aliquo arduo negotio, aut magno interesse Communitatis. quibus casibus, aut omnes viua voce consentiant, aut saltem duæ partes, ex tribus, non tantum Consiliariorum pro illis sex mensibus regentium, & administrantium, sed etiam Consiliariorum sex mensiũ præcedentium, quod consilium vetus appellatur, & vota aliter data, quam verbo, aut per fabas, vel ballotas utsupra, uiribus non subsistant, & ipso iure non ualeant, quicquid uero secus factum fuerit, consilium autem uetus quando eo opus erit, citetur per Nuntium Communis pridie quam congregari debeat, uidelicet in sero, aut etiam statim si consilium repentinum habere oportuerit.

Vbi Consilium Congregari, & fieri debeat. Cap. 12.

NON possit alibi congregari, & fieri Consilium, quam in Palatio Communis, & ubi hactenus haberi consueuit, & alibi ordinata, & conclusa ipso iure non teneant nisi belli, aut pestis, aut alia urgens causa esset, quæ illud in Palatio Communis congregari impediret, aut nisi oporteret conuocare capita domorum tunc enim liceat in aliqua Ecclesia, uel in alio honesto, & commodo loco se congregare.

Quando

Quando, & quomodo capita domorum conuocari possint. Cap. 13.

COnuocatio autem, seu congregatio generalium capitum domorum non fiat nisi vbi agatur de conseruatione Ciuitatis Aquarum, vel de conseruandis conuentionibus, priuilegijs, franchisijs, & iuribus communitatis, aut de eis tolendis, vel mutandis, aut alterandis formis, fidelitatis, consuetæ, aut nisi Princeps mandaret, & vbi congregata fuerint capita domorum masculina, & si plures fratres fuerint, & simul habitauerint natu maiora in aliquo honesto, & commodo loco, in quo congregari debeant sine armis cuiusuis generis, & coram iusdicente, qui ibidem pro Tribunali sedeat, fiant propositiones per Sindicos, aut per alium à consilio electum, & quicquid per populum approbatum, seu reprobatum fuerit, aut voce expressa, aut per eleuationem manuum, aut per egressionem loci, aut per quodlibet aliud signum obseruetur, & vbi propter contradictionem ad vota deueniendum esset illud obtineat, quæ duæ partes populi ex tribus concluserint, & scribatur per Notarium communis, & per eum deinceps legatur, & vulgarizetur alta, & intelligibili voce, antequam populus discedat.

De Auctoritate, & Potestate Consilij. Cap. 14.

PErseueret consilium Aquen. cum sua auctoritate, & potestate condendi statuta, & tam facta, quam facienda corrigendi, mutandi, addendi, & interpretandi ad libitum Prætoremq; & cæteros Officiales eligendi, & eorum numerum augendi, vel minuendi & alios de nouo creandi prout expedierit consiliumq; debitis, & consuetis temporibus mutandi, seu reformandi Medicos, & Magistros, Scolarium, & alias personas vtiles, ac necessarias conducendi eisq; salarium constituendi venationes, aucupationes, & piscationes prohibendi, & concedendi prout libuerit Dacita Communitatis subhastandi, & deliberandi cum interuentu tamen iusdicentis saltem tempore deliberationis; si requisitus fuerit, & de fructibus, redditibus, & prouentibus publicis libere disponendi bona Communitatis pignorandi, & hipotecandi, & etiam alienandi, & distrahendi ex causis vtilibus, & necessarijs, ac interuenientibus solemnitatibus, de quibus dicetur in Capitulo de Alienatione rerum Ciuitatis, et citra omnem donationem taleas collectas, et prestita imponendi, et exigendi Nemora quoque Communis custodiri, incidi, et more solito distribui faciendi. Et generaliter habeat omne arbitrium, et regimen pro bono, et tranquillo statu, et manutentione, ac conseruatione Ciuitatis.

De Electione Officialium Communis. *Cap. 15.*

Eligantur singulis sex mensibus quando mutatur, seu reformatur consilium pro sex mensibus immediate sequentibus more solito ad voces, & si fuerit tempore belli ad breuia duo Sindici, duo Consules. quatuor Rationatores communis, tres Extimatores de minuto, tres Extimatores malepagarum, duo rationatores minorum, condemnatores sex bannorum campestrium, duo Massarij communis, Rector vnus Hospitalis, & duo Notarij communis, & Tribunalis Prætoris Notarij tamen semper eligantur ad breuia pro sex mensibus continuis immediate sequentibus tantum, & qui fuerint Notarij sex mensium præcedentium non possint amplius eligi, nisi prius lapsis sex mensibus alias quæcumq; acta Curiæ per Notarium non electum vtsupra fienda sint ipso iure nulla, & nullius roboris, vel momenti, nisi in casu vbi aliquis litigantium haberet Notarios Communis suspectos in aliqua causa, quod tunc possit dari Notario communis adiunctus confidens ipsi petenti, & quod fuerit Notarius communis sex mensium præcedentium, & quicumq; fuerit electus in Notarium communis, & onus acceptauerit possit per Dominum Iusdicentem, qui pro tempore fuerit remedijs opportunis mulcta indicta, & captis pignoribus cogi ad officium semel assumptum exercen. per tempus suum nisi legitima, & rationabilis per eum probaretur causa, & possint eligi tam Notarij extra Consilium, quam qui fuerint de consilio, si fuerint viri probi, & bone vocis, & famæ condemnatores autem bannorum campestrium, eligantur sex primi de Consilio pro duobus mensibus, & sex secundi pro alijs duobus mensibus, & sex tertij, pro duobus mensibus vltimis, eligantur quoque ante finem officij Prætoris, in consilio tres Sindicatores, qui Sindicare habeant Prætorem modis, & formis prout dicetur in capitulo de officio Sindicatorum Prætoris. Eligatur etiam vnus registrator quotiescumq; placuerit consilio quocumq; etiam tempore eligi possint legati, seu ambasciatores communis prout necessarium fuerit, ita tamen, quod plures eligi non possint, quam duo singula vice, & pro quocumq; negotio nisi ex magna, & vrgenti causa, vel nisi Princeps plures eligi iuberet. Suprastantes verò ponderibus grani, & farinæ, & custodes Portarum Ciuitatis, ac Nuntii, seu famuli communis, itemq; Camparij finium, & Nemorum affirmentur per consilium, vel per Sindicos de voluntate consilij quoties opus fuerit, & per tempus quod erit necessarium, Clauarius autem communis accipiatur in principio anni præcedente proclamate Nuntij communis, quod qui infra dies quindecim meliorem conditionem communitati facere voluerit

seq;

feq; per vnum ex Notarijs Communis describi fecerit, illi deliberabitur clauaria per annum vnum, lapsoq; dicto termino, delibe retur clauaria ei qui meliorem conditionem Communitati attulerit per annum vnum dumtaxat.

De Officio Sindicorum. Cap. 16.

Officium Sindicorum erit quoties opus fuerit consilium de licentia iusdicentis conuocari, & congregari facere, causasq; conuocationis, & congregationis eius in consilio proponere, & super omnibus quę proposita fuerint mature deliberari facere, & curare quã per Notarium Communis describatur in libro Consilij, quicquid ordinatum fuerit Prætorem, & alios Officiales Communis debitis temporibus eligi clauarios, & administratores, debitoresq; Communitatis rationes reddere, ac eorum calculis cum rationatoribus interesse, eaq; omnia per Notarium Communis in libro rationum Communis describi procurabunt, & si quem errorem, vel aliquam fraudem comperuerint statim Consilio, vel Prætori significabunt, operamq; dabunt quod negotia, causæ, lites, controuersie, & questiones Communitatis quanto celerius expediantur, & ad debitum finem perducantur. Curabunt quoque quod registra aptentur, & iusta sint, & quod bona non registrata registrentur, iura quoq; priuilegia, conuentiones, franchisias, statuta, & consuetudines Ciuitatis bonaq; omnia vniuersitatis, & fines defendent, & manutenebunt quoscunq; debitores Communitatis, vel condemnatos per Prætorem, aut per consules, si per eos regi contigerit clauario exigendos pro pęna Communi applican. consignabunt, curabunt etiam quod balnea, & vie publice, semiteq; reficiantur, ac fossata purgentur scripturas si quas habebunt Communitati pertinentes, vel instrumenta, seu acta Sindicis successoribus consignabunt, & quæ in archiuio reponenda erunt, reponent Sindicis successoribus, & rationatoribus Communis rationem suæ administrationis reddent infra decem dies postquam officium suum deposuerunt, non disponent de fructibus, & redditibus, seu bonis Communitatis vltra florenos vigintiquinque absq; licentia Consilij, claues portarum penes se retinebunt tempore belli, vel pestis nisi consilium maluerit, eas per Prætorem, aut per alium custodiri, senior ex eis habebit clauem vnam archiuij, & alteram habebit consul, qui similiter fuerit natu maior, nec vnus sine altero illud aperiet, & prædicta omnia, & singula seruabunt sub vinculo iuramenti, quod præstiterunt quando in Consiliarios assumpti fuerunt.

De Officio Consulum. *Cap. 17.*

Consules per quos potest Ciuitas Aquarum se regere, prout continetur in conuentionibus factis cum Illustrissimo D. Marchione Montisferrati descriptis in calce præsentium Reformationum quotiescumq; contigerit eos regere, vel Prætorem abesse à Ciuitate Aquarum vel eum infirmari, vel officium Præture vacare, sedebunt in palatio Communis diebus, & horis, quibus ius reddi solet, & ius, iustitiamq; ministrabunt omnibus petentibus, & eos requirentibus, & eandem habebunt auctoritatem, & potestatem, ac iurisdictionem quam Prætor, & obseruabunt omnia, quæ continentur supra, in capitulo de Officio Prætoris, & in capitulo de iurisdictione Prætoris pro tempore quo Prætor infirmus, vel absens steterit, vel officium præturæ vacauerit, & Nuntij communis tempore quo consules ius reddent, & regimen Ciuitatis habebunt, eis assistent, & parebunt non secus, ac Prætori eorumq; præcepta, & mandata exequentur, nec possit Prætor pro tempore quo absens, vel infirmus fuerit aliquem substituere, nec dimittere, qui pro eo ius reddat, aut eius locum teneat, præterquam Consules, alias acta omnia coram alio, quam coram Consulibus pro dicto tempore agitata, sint ipso iure nulla, teneantur quoq; Consules alijs temporibus, quibus iustitiam non ministrabunt quotiescumq; requisiti fuerint ab aliquo cui grauamen aliquod à Prætore sit illatum, si eis tale grauamen iniustum videbitur adire Prætorem, eumq; bonis, & honestis verbis hortari, vt vellit ab huiusmodi grauamine desistere. Et si prætor noluerit desistere possit de eo sindicari tempore sui sindicatus. & ita teneantur dicti consules contra eum protestari, & protestationem redigi facere in scriptis per Notarium Communis aduertendo tamen ne iusta pro iniustis accipiant. Insuper teneantur præfati consules in ordinationibus per eum faciendis aut in sententijs proferendis pro tempore quo iustitiam ministrabunt si quid dubij habebunt eas facere cum participatione prætoris si in Ciuitate erit & consuli poterit alioquin procedant cum consilio alicuius iurisperiti per eos eligendi & prout continetur in capitulo de consilio sapientis habeant autem pro sua mercede, & salario dum ius reddent idem quod haberet prætor præterquam de salario ordinario de quo nihil habeant nisi consilium aliter statuerit.

De Officio Rationatorum Communis. *Cap. 18.*

RAtionatores Communis intererunt omnibus rationibus Sindicorum, Clauariorum, & aliorum, qui bona Communis administrauerint, aut eius fuerint debitores quoties ordinatum fuerit per Consilium rationesq; & calculos eorum facient fideliter, & sine fraude, ac cum omni diligentia, & errores corrigent debitaq; & credita cum causis, ac temporibus eorum sigillatim, & distincte describi curabunt per Notarium Communis in libro rationum communis, & nullam partitam alicui personæ acceptabunt nisi habuerint annum, mensem, & diem quantitatem, & numerum, & causam, nec aliquam duplicari permittent, & si quam indiscretam comperuerint, vel aliquem errorem, seu fraudem detexerint, aut aliquid suspicabuntur statim consilio notificabunt si recusauerint moniti parte Prætoris rationibus, & calculis interesse absque iusta, & rationabili causa incurrant pęnam solidorum viginti pro quolibet contrafaciente, & qualibet vice, & eorum loco alij per Consules subrogentur, & Sindicos cum eodem salario, quod habere deberet ille qui recusauerit, si autem causa recusandi fuerit iusta, & rationabilis arbitrio iusdicentis non sustineat recusans pęnam aliquam nisi quod detrahatur tantum de eius salario, quantum consilio videbitur, quod detur ei quem Sindici, & Consules in eius locum posuerint.

De Officio Estimatorum de Minuto. *Cap. 19.*

ESstimatores de minuto, æstimabunt duo eorum ad minus, bona fide, & sine fraude, vel dolo, carnes recentes macellandas visitabuntque eas primum viuas, deinde mortuas, necnon carnes salsas, ac pisces salsos, aliasque omnes res, seu merces ad victum hominis necessarias, & æstimari solitas iusto pretio, & si carnes morbosas inuenerint, prohibebunt eas vendi, nec similiter vendi permittent pisces putridos, & alias res fetidas, & non vendendas, minusque panem malecoctum, & male conditionatum, & vbi talem panem inuenerint, possint de eo in pauperes disponere, pro summa quæ eis visa fuerit, dummodo sextam partem totius panis non excedant, quodsi panis albus, vel totius paste non esset sufficientis albedinis, quod possint eorum arbitrio illum æstimare, & Panatarij teneantur illum vendere secundum æstimationem fiendam, necse excusare, quod illum comedere

vellent in domo, sub pœna ammissionis quartæ partis dicti panis non bene albi, vel non bene cocti, sub pęna floreni vnius pro quolibet eorum, qui contrafecerint, & qualibet vice, quin etiam eas proici, & comburi facient extimabunt quoq; panem album, & totius paste qualibet hebdomada ad rationem pretij, quo vendetur frumentum in die Veneris, prouidebuntq; quod panis sit bene coctus, & bene qualificatus, ac iusti ponderis, visitabunt etiam sub eadem pęna singuló mense adhibito secum colaterali Prætoris, vel nuntijs omnium vendentium, & ementium pondera, pensas, & mensuras, an sint iusta, vel iniusta, nec non tabulas fornariorum, si sint debite longitudinis, & latitudinis, & similiter brentas portantium vinum, & cebros, quibus vinum mensuratur; item mensuras vini tabernariorum, & hospitum, & pectines, orditoriaq; textorum, & prouidebunt quod vnusquisq; prædictorum obseruet statuta de se loquentia, & si quem contrafacere inuenerint iusdicenti denuntiabunt, nec aliquem omnino excusabunt sub pęna iam dicta cęterum habebunt pro suo salario tertiam partem pęne eorum, quos accusauerint, & ad euitandum fraudes, & collusiones multoties contingentes inter venditores casei, olei, piscium, & aliorum omnium, quæ ad minutum venduntur cum emptoribus, seu venditoribus ad minutum: habeant dicti estimatores potestatem deferre iuramenta tam venditori quam emptori huiusmodi rerum, & ipsi iurare teneantur ad sancta Dei Euangelia, & realiter & sine fraude dicere verum pretium earum vt possit fieri estimatio congrua & honesta, qui autem veritatem non dixerit, puniatur ad formam statuti de hoc disponentis.

De Officio Estimatorum Malepagarum, *Cap.* 20.

Estimatores malepagarum, vel saltem duo eorum, quoties moniti, vel citati fuerint parte iusdicentis, & ad instantiam alicuius, cui datum, vel factum sit aliquod damnum, quod visitari, sibiq; per camparios, aut damnificantem emendari vellit accedent super locum damni dati, seu facti, die, & hora eis per iusdicentem statuenda, & diligenter locum inspicient, damnumq; datum, vel factum bene considerabunt, & illud iuste æstimabunt, & relationem facient statim infra diem immediate sequentem coram Iusdicente, & partibus mandabuntque causa per Notarium Communis scribi, in libro Actorum, sub pena floreni vnius pro quolibet ipsorum, & qualibet vice, & iusdicens stabit eorum relationi, & ęstimationi, & similiter ęstimabunt, & terminabunt

bona

bona fide, & sine fraude, bonaq; dabunt in solutum creditori per debitorem secundum valorem eorum habito super tali valore prius Consilio consortum, & vicinorum, & visitatis prius prædijs, & bonis, & æstimationem facient coram iusdicente, valeatq; eorum æstimatio saluo semper iure cuiuslibet tertij, & anteriora, & potiora iura habentis æque si fuerit differentia, seu quęstio inter aliquos respectu alicuius seruitutis rusticorum, vel vrbanorum prædiorum, seu viarum, itinerum, & actuum, confinium, Acqueductuum stillicidiorum, cloacarum, & latrinarum requisiti, & de mandato iusdicentis si opus fuerit ibunt super locum diferentiæ, visitatoq; loco statuent partibus, quas præsentes adhibebunt terminum dierum trium ad minus ad exhiben. & producendum coram eis omnia iura sua vel ad dicendum, vel allegandum in voce, seu in scriptis quicquid voluerint, & sua putauerint interesse, & ita scribi facient per Notarium communis, & lapso termino per eos assignato diferentiam ipsam decident sumptis omnibus quas poterunt informationibus præsertim à consortibus, & vicinis, ac vias, & semitas, & andeos inter consortes discernent prout eis conuenire videbitur, & ad minus damnum, & terminos constituent, & designabunt simpliciter, & de plano sine strepitu, & figura iudicij, solaque facti, & veritate inspecta infra dies proxime sequentes, & si fuerit discordia obtinebit quod duo ex eis ordinauerint sententias, ordinationesq; suas in Palatio Communis, & coram iusdicente proferent, easq; per Notarium Communis recipi facient, alioquin sint ipso iure nulla adhibebunt quoque si opus fuerit, aut aliqua ex partibus requisiuerit secum agrimensorem architectorem, aut aliam personam expertam per partē eligendam, aut per iusdicentem si partes fuerint discordes, adhibebunt item ipsum Prætorem si eis videbitur, aut si aliquod iuris dubium emerserit, vel si per partem aut alteram earum eius iudicium fuerit requisitum: habebit quilibet ipsorum pro sua mercede, pro visitatione loci, vel diferentiæ intra Ciuitatem solidos nouem extra vero Ciuitatem vltra suburbiam solidos decem octo à parte, que eos requisiuerit in quibus alteram condemnabunt si succubuerit. Item pro æstimo aliquorum bonorum percipiant pro singula æstimatione in Ciuitate, & suburbijs, & ab vno milliari citra solidos nouem pro quolibet eorū, & ab vno milliari vltra solidos decem octo à parte, qui æstimū fieri postulauerit, & tantundem habeant pro aterminatione, & terminorum plantatione fienda, & si plures terminos plantauerunt pro quolibet termino, & pro quolibet eorum solidum vnum vltra salarium suprascriptum.

De Officio Rationatorum Minorum. Cap. 21.

RAtionatores Minorum quotiescumq; ventilabitur coram iusdicente Aquis aliqua causa, lis, & controuersia alicuius pupilli, minoris, viduæ, furiosi, vel mente capti, aut alterius miserabilis personæ eisq; primum id sciuerint assistent, & pro illis patrocinabuntur, curabuntq; quod causæ eorum quanto citius diffiniantur, & si intellexerint Tutores, vel Curatores illorum, aut pro eis negotia agentes male versari instabunt, vt quanto celerius remoueantur per iusdicentem, & quod de eis magis idoneis, & non suspectis prouideatur, & si tutores, vel curatores non habebunt, prouidebunt quod eis constituantur, intererunt q; rationibus, & calculis eorum quotiescunq; parte iusdicentis fuerint citati, vel moniti sub pœna floreni vnius pro quolibet eorum, & qualibet vice, & prouidebunt, quod dicti calculi, & rationes iuste, & sine fraude, ac diligenter fiant, & quod reliqua illis restituantur. Habebunt autem pro suo salario à Communi à florenis viginti quinque supra florenum vnum pro quolibet, & qualibet vice, qua alicui rationi perfectę interfuerint, & à florenis viginti quinque infra nihil.

De Officio condemnatorum, bannorum campestrium. Cap 22.

COndemnatores bannorum campestrium faciant condemnationes pro damnis datis, vel factis in Palatio Communis absque præsentia iusdicentis, & daciterij Communis secundum statuta, vel capitula de bannis campestribus disponentia, absoluentq; seu condemnabunt accusatos, vel denuntiatos secundum deffensiones si iuridice, & vere, & intra tempus à prædictis statutis limitatum factis, & quod accusę, vel denuntie fuerint intra debita tempora porrectę, & scripte; diligenter etiam perquirent scire, & habere veritatem accusarum, vel denuntiatum aliunde quam ab accusatoribus, seu denuntiatoribus, si eos suspectos habebunt, & si in condemnando, aut absoluendo fuerint discordes, vel aliquid dubij inter eos ortum fuerit, aut accusator, vel camparius, seu denuntiatus, vel accusatus Prætoris iudicium requisiuerit stetur iudicio, & determinationi partis maioris eorum similiter si omnes simul conuenire non poterunt ex causa absentie, infirmitatis, vel alia legitima, & necessaria possit consilium in locum impeditorum totidem alios ex condemnatoribus aliorum duorum mensium, vel præcedentium, uel sequentium suo arbitrio subrogare habeat autem quilibet condemnator pro suo salario solidos decem, pro qualibet vice qua condemnationes fecerit.

De Officio Maßariorum Communis. Cap. 23.

MAssarij communis visitabunt semel in mense portas, & muros Ciuitatis Palatium, & Turrim communis, ac pontes, publicarum viarum, & portarum, necnon balnea, & si quæ alia sunt huiusmodi, & curabunt ne deuastentur, vel ruinam aliquam patiantur, & si quid viderint ægere reparatione, seu refectione Sindicis, & consilio notificabunt vbi autem consilium prouiderit huiusmodi reparationem, vel refectionem fieri materiam expensis communis præparabunt præeruntq; operarijs, & solicitabunt vt quã primũ reparatio, seu restauratio fiat, & si ordinatum fuerit per consilium fieri aliquod nouum opus instabunt similiter Magistros, & operarios, vt quanto citius perficiatur eosq; ad id per Nuntium communis conuocari, & congregari facient, ac plaustra, & carros bestiasq; quibus opus erit ad conducendum ligna, vel arenam, uel lapides per eundem Nuntium mandari iubebunt prospicient quoq; ne viæ publicè occupentur per vicinos, & ne deuastentur, & si fuerint deuastatæ, quod reficiantur, & in pristinum reducantur in tempore per eos statuendo, & quod eorum fossata purgentur quoq; Acqueductus intus, & extra Ciuitatem, mondi remaneant expen. habitantium, Predia vicina, seu domos contiguas, & quod ponantur termini, vbi eis videbitur, vt in futurum cognosci possit, quis vias publicas deuastauerit, seu occupauerit, & comperto occupatore, uel vastatore uiarum, uel alterius edificij, uel loci publici ab eo habeant salarium inferius limitatum, & non à communi uisitabunt etiam confinia, & si quid à terris, uel locis circumuicinis occupari cognouerint sine mora consilio denunciabunt, quando præerunt alicui operi publico describi facient per Notarium communis, operarios quos acceperint omnesq; carros, & bestias, quibus usi fuerint, ut qui iussi non fuerint, uel non misserint cogi possint ad eundum, uel mittendum, ut à magnis ad infimos usq; sarcina decurrat, & ut puniri possint, qui ire, uel mittere recusauerint, tenebunt item in fine officij annotari facere per Notarium communis numerum dierum, quibus laboribus, & operibus communis interfuerint, & genera laborum, & habebunt à communi pro quolibet die, quo in prædictis fuerint occupati, pro quolibet eorum florenum unum, & si dolum, aut fraudem aliquam commisserint, seu quempiam aliquo modo excusauerint incurrant pœnam floreni unius pro quolibet, & qualibet uice.

De Officio Rectoris Hospitalis. Cap. 24.

REctor Hospitalis sub uinculo iuramenti, quod præstitit, quando fuit in consiliarium electus, uisitabit saltem bis in hebdomada Hospitale, & loca eius, & saltem semel in mense bona campestria Hospi-

talis

talis, & si quid egere reparatione, vel refectione, seu cultura, vel mondatione viderit quamprimum significabit Sindicis, & Consilio prouidebitque cum Sindicis ipsis, ac cum Rectoribus, Societatum Domini nostri Iesu Christi, ne in hospitale recipiantur, vel hospitentur, aut morentur personæ infames, & suspectæ præsertim tempore pestis, quin etiam tunc cum Sindicis curabunt, quod custodes portarum Ciuitatis sint diligentes, & quod aliquē intrare non permittant suspectum locaque suspecta, & homines quos suspectos habebunt cum eorum rebus refutari, & auctoritate propria, ac vbi opus fuerit Prætoris de vrbe expelli, ac banniri faciet, curam & administrationem bonorum hospitalis, & præcipue eorum, que fuerunt hospitali relicta per nunc quondam Dominum Bernardinum Auellanum. Cum seniore qui pro tempore fuerit de familia, vel agnatione illorum de Auellanis, iuxta formam, & tenorem testamenti dicti nunc quon. Domini Bernardini recepti per nobilem Dominum Antonium Accetum Notarium publicum Aquensem, & in fine sui Officij reddet rationem suæ administrationis Sindicis, & rationatoribus Communis cum interuentu rectorum prædictæ Societatis Domini nostri IESV CHRISTI habebit autem pro suo salario id, quod taxabitur per Consilium, & tertiam partem pęnarum eorum, qui contrafecerint bannis, & præceptis iusdicentis ad eius requisitionem factis pro sanitate in Ciuitate tuenda non durabit illius Officium vltra sex menses nisi denuo in Consilio ellectus fuerit quo casu durabit electio, & eius Officium alijs sex mensibus tantum, & non ultra, sed alius omnino eligetur.

De Officio Notariorum Communis. *Cap.* 25.

NOtarij Communis, & Tribunalis Prætoris omnibus diebus, & horis iuris ei assistent, acta omnium causarum ciuilium, & criminalium, in quibus pœna Communi aplicabitur, denunciasq; & accusas scribent, sententias, ac condemnationes ciuiles, & criminales, & pęnas per Prætorem ferendas, seu per Consules, si ipsi iustitiam ministrauerint, aut Prætor absens, vel infirmus fuerit recipient quoties pulsabitur Consilium ad illud venient, & scribent in libro Consilij conuocationem, nominaq; & cognomina Consiliariorum ibi existentium; nec non propositiones Sindicorum, & querelas, requisitionesq; particularium personarum, & super ordinata per Consilium, eaq; omnia antequam dimmitatur Consilium vulgarizabunt vt ab omnibus intelligantur, & valida sint. Intererunt cū Sindicis, & Rationatoribus cōmunis rationibus clauarij, ac Officialiū, & administratorū, omniūq; debitorū Cōmunis, & eas debito modo, & distincte annotabunt in libro rationum Communitatis interuenient quoque omnibus incantibus, & subhastationibus ac delibberationibus bonorum, &

& rerum Communitatis prædictæ easq; & earum deliberationes scribent in libro consilij, facient item librum vnum separatum bannorum, in quo describent omnes accusas, & denuncias, quæ per Camparios, aliosue accusatores, seu denunciatores dabuntur, ac etiam deffensiones, quæ fient per denunciatos, vel accusatos, & condemnationes eorum prout condemnatores dictauerint gratis, accusas autem, & denuncias scribent defensionesq; mittent denunciatis, seu accusatis, & bulletam emendæ bannorum damnum passis transmittet gratis, modis, & formis, & temporibus à statutis limitatis sub pęna eis imposita, & prout dicetur in capitulo de accusis, & earum defensionibus, scribent similiter sententias, & ordinationes extimatorum malepagarum, & vulgarizabunt Nuncio Communis omnia proclamata quæ parte Prætoris, vel consulum respectiue fient non patrocinabuntur coram Prætore, vel Consulibus si per eos ius reddi contigerit pro aliquo quouis modo durante eorum officio non reuellabunt secreta consilijsi eis per Prætorem, aut Consules respectiue iniunctum fuerit libros consilij, & alios quos penes se retinebunt gratis ostendent cuicumq; Aquensi, & significabunt Sindicis omnes, qui fuerint denuntiati, & accusati eisq; seu Clauario Communis quascumq; condemnationes penales, & omnes processus causarum criminalium in quibus pena applicabitur cameræ Communis monstrabunt, & copiam dabunt si fuerit petita omnia denique instrumenta scripturas, quinternetos, bulletas, & listas pro communi necessarias, & in Ciuitate Aquarum, & pro negotijs, vel causis in curia Aquen. vertentibus non extra gratis facient. Cęterum pro mercede, & salario suo, habebunt id quod taxabitur infra in capitulo de mercede, & salario Notariorum.

De Officio Sindicatorum Prætoris. Cap. 26.

SIndicatores Prætoris finito eius officio, & regimine, sedebunt in palatio Communis ad iuris tribunal diebus decem continuis videlicet hora tertiarum qualibet die per horam vnam ad minus, & audient attente omnes quærellas, & petitiones quas quilibet Ciuis, aut habitator Aquarum, aut etiam Communitas contra Prætorem, aut eius collateralem, aut familiam porrigere voluerit pulsata prius campana Sindicatus, ac pręcedente voce præconia, seu Nuncij in locis publicis, & consuetis, quod qui voluerit conqueri de Prætore, vel eius familia, seu aliquod ab eo peterę compareat in prædictis decem diebus hora tertiarum, & quando pulsabitur campana Turris communis coram Sindicatoribus in palatio cōmunis ad bancum iuris cum cominatione quod alias amplius non audietur sed ei perpetuum silentium imponetur. Vbi autem aliqua querella

vel

vel petitio contra Pretorem, seu eius familiam data fuerit, quæ non excedat florenos vigintiquinq; eam difinient intrà dies tres immediate sequen. simpliciter, & de plano, ac sine strepitu, & figura iudicij, solaq; facti veritate inspecta, & si Prætorem condemnauerint eum cogent ad soluendum priusquam recedat à Ciuitate. Si verò petitio florenos vigintiquinq; excesserit, & in dicto termino causa difiniri non poterit. Prætor si nihil aliud obstabit cum familia rebusq; suis, poterit recedere electo prius domicilio ad domũ illius, qui pro eo fideiusserit tempore quo initium in magistratu suo fecerit, contra quem procedi, & exequutio fieri possit, si Prætor ipse fuerit condemnatus, si autem lapsis prædictis decem diebus Sindicatus aliquis non comparuerit, nec quærellam, seu petitionem contra eum, seu familiam dederit, Sindicatores prædicti Prætorem, ac familiam eius fideiussoremq; absoluent, & cuicumq; contumaci silentium perpetuum imponent, & ordinabunt, nullum amplius esse audiendum, si quis verò falsam quærellam contra Prætorem, aut eius familiam porrexerit, seu petitionem suam probare non poterit. Si lapsis prædictis decem diebus Sindicatus quærellans in eam persistere noluerit absoluetur: Prætor à petitis, & quærellans ad expensas aliquas minime teneatur. Si vero post dictos decem dies quærellans causam prosequendo succumbuerit condemnetur in expensis versus Prætorem exceptis expensis dictorum decem dierum ad quas nemo querellans teneatur, erit autem officium bonorum Sindicatorum animaduertere, & prouidere ne Prętor, & eius familia durante dicto Sindicatu aliqua iniuria reali, vel personali à quopiam indebite officiatur.

De Officio Registratoris. Cap. 27.

REgistrator habebit curam registri communis, & tenebitur illud adaptare addendo, vel detrahendo prout opus erit interuenientibus semper partibus, quæ voluerint aliquid addere, vel detrahere suo æstimo, ita quod non sufficiat altera eorum nisi pars requisita, & monita, seu citata per Nuntium Communis parte Prætoris, seu Consulum, quando per eos ius reddetur fuerit contumax, & interesse noluerit, quo casu ad requisitionem alterius partis de licentia Prætoris, vel Consulum detrahetur, vel addetur dicto registro prout fuerit necessarium, & idem faciet quando quis voluerit bona defuncti, in quibus successerit transferre ad suum registrum, & nullus apparebit contradictor. dabit etiam operam ne aliquid in registro duplicetur, vel ne vltra debitum quid æstimetur, ostendet quoque cuicumq; volenti inspicere suum æstimum librum registri, & copiam extra hi permittet ipso præsente tenebitur. Insuper facere bulletas militibus, qui hospitabuntur Aquis, & distribuere allogiamenta secundum registrum, & fa-

facultatem cuiuscumq; æqualiter semoto quoque odio, inimicitia, vel premio, & computum, & rationem earum, & contributionum, vel expensarum traddere, cum erit imponenda aliqua talea, seu facienda perequatio, nisi consilium alios ad id officium specialiter eligere maluerit, qui statim, vt electi fuerint, iurabunt in manibus iusdicentis prædicta obseruare, habebit autem Registrator pro sua mercede pro qualibet partita solidos tres ab acquirente, & totidem ab alienante, & pro copia alicuius partitæ alicui danda solidos similiter tres pro inspectione verò nihil durabit autem eius officium quandiu placuerit consilio.

De Officio Legatorum, seu Ambassatorum Communis. Cap. 28.

Legati, seu Ambassatores Communis, qui eligentur idonei pro qualitate negotij, vel ambassarie, & grati personæ ad quem mitti debebunt si fieri poterit. Curabunt eis commissa, & mandata fideliter, & diligenter adimplere eaq; non excedere portabunt secum litteras suæ legationis, & similiter offerent responsionem eis datam, & expeditionem suam in scriptis si poterunt, & statim vt reuersi fuerint à loco ad quem iuerint adhibunt Sindicos, & ab eis petent consilium congregari die immediate sequenti non festiua, & congregato consilio ad illud venient, & responsionem, vel expeditionem præsentabunt si eam in scriptis habuerint, aliter verbo exponent quicquid reportauerint, aut à se tractatum fuerit, ac integram, & fidelem relationem facient, quæ de mandato Pretoris, vel Sindicorum statim scribetur in libro consilij per Notarium communis si opus fuerit. Habebunt autem pro suo salario, vltra expen. hospiciorum in eundo, stando, & reddeundo pro quolibet ipsorum, & qualibet die qua in legatione steterint, quicquid eis taxatum fuerit per consilium, siue pedester, siue equester iuerint, qui fraudem, vel dolum in legatione sua commisserit, aut contentis in præsenti capitulo contrafecerit, soluet pœnam arbitrariam, & insuper tenebitur ad omne interesse, & damnum Reipublicæ, finiet eorum officium statim cum à legatione reddierint, & relationem vt sup. fecerint.

De Officio Suprastantium Ponderibus grani, & farinæ. Cap. 29.

Suprastantes ponderibus grani, & farinæ, contra molendinarios, & asinarios, qui eligantur duo, & quorum vnus ad minus sciat scribere, & computum tenere, iurabunt simul atque electi fuerint in manibus iusdicentis, solemniter officium suum prout inferius continetur, diligenter, & iuste exercere, stabunt continuo, vel vnus saltem eorum stabit in loco, qui eis deputabitur pro pensa granorum, & victualium, quæ portabuntur

buntur, vel conducentur, ad molendinũ eaq; pensabunt, & ponderabunt, & eorum pondus, seu pensa annotabunt in vno libro cum nomine, & cognomine eius, cuius erunt grana, vel victualia, & cum anno, mense, & die, ac nomine, & cognomine molendinarij, seu asinarij, cui data fuerunt, & quando farina conducetur ex molendino, eam similiter pensabunt & quicquid deesse reperuerint in pondere, illud restitui facient statim per molendinarium, vel asinarium addito etiam Prætore, vel consulibus, si ipsi regimen Ciuitatis habuerint, si opus fuerit, accusabunt quoq; molendinarios, vel asinarios, qui grana, & farinas ponderari non facient, vt supra, & qui quod defuerit, non restituerint, ac etiam Dominos, qui grana, & victualia, farinasq; ponderari prohibuerunt, aut non permisserint. Tenebuntur insuper quolibet mense ostendere librum suum Sindicis, & cuicunq; requirenti sub pena vnius floreni pro quolibet, & qualibet vice omnium prædictorum. Eorum salarium erit quicquid cum consilio conuenerint, nec non tertia pars penarum eorum, quos accusauerint.

De Officio Custodum Portarum Ciuitatis. Cap. 30.

Custodes Portarum Ciuitatis si fuerit tempus belli, vel pestis duo eligentur pro qualibet porta, qui iurabunt formiter in manibus Prætoris, vel iusdicentis statim cum fuerint affirmati quod fideliter portas Ciuitatis custodient, & contenta in præsenti capitulo obseruabunt continuo à mane vsque in serum stabunt ad custodiam portæ, nec inde recedent nisi causa cibi, vel potus, vel causa audiendi Missam in diebus festiuis, vel alia causa neccessaria, quo casu vnus tantum recedet, eorum, & alter remanebit ad custodiam porte, diligentiam prestabunt ne tempore belli, seu pestis aliquem intrare permittent suspectum, & sine bulleta, & ad vnguem obseruabunt quecunq; ordinata fuerint per Consilium vel per deputatos super custodia Ciuitatis non ludent, nec alios ludere permittent, nec aliquod aliud exercitium facient, dum ad custodiam steterint nec aliquid quouis modo ab aliquo exigent præter ligna iuxta consuetum sub pena vnius floreni pro quolibet, & qualibet vice in prædictis contrafecerint, nec si claues portarum penes se habuerint alicui de nocte aperient sine licentia Prætoris, vel Sindicorum, aut illorum, qui custodiæ preerunt & Ciuitatis gubernabunt sub pena vnius ducati pro quolibet, & qualibet vice; Si verò non fuerit tempus belli, vel pestis, elligetur duntaxat custos pro qualibet porta, qui eam in sero claudat, & in mane aperiat, nec teneatur stare ad portam alijs horis nisi Consilium ordinauerit, possit etiam cuicunq; non suspecto, de nocte aperire sine licentia alicuius, si autem suspectum aliquem habuerit ei non aperiet sine licentia Sindicorum sub

pena

pęna antedicta, teneantur quoque dicti custodes portas claudere quoties Prætor mandauerit, vel Consules si ipsi iusdicent pro aliquo delinquenti capiendo, seu pro furto, alioue maleficio detegendo, habeat vnusquisque eorum pro suo salario, id quod cum Consilio conuenire poterunt, & duret eorum officium per Annum, nisi Consilium eos denuo affirmauerit.

De Officio Nuntiorum, seu famulorum Communis. Cap. 31.

NVntij, seu Famuli Communis erunt tres, vel duo ad minus, qui iurabunt in manibus Prætoris, vel Iusdicentis officium suum diligenter, & fideliter gerere, & seruare omnia, & singula in præsenti capitulo descripta, stabit quolibet die vnus eorum super scala palatij, vt semper inueniri, & vocari possit pro præceptis, inthimationibus, citationibus, & exequutionibus parte Prætoris, seu Consulum, dum ius ipsi reddent faciendis; ac alijs negotijs eorum, vel Communitati peragendis, & qui contrafecerint, absq; iusto impedimento, incurrant pœnam solidorum trium pro qualibet vice, & eandem subeant pænam, si quoties pulsabitur Campana pro eis, & non fuerint iuste impediti statim non comparuerint, & quoties Prætorem, vel Consules, respectiue in Festis principalibus non commitabuntur, facient omnes citationes, præcepta, monitiones, assignationes, & inthimationes sibi per Iusdicentem, siue Prætor, siue Consules fuerint commissa eorumq; litteras, cuicumq; præsentabunt, & relationem facient ad instantiam cuiuscumque intra tempus, quod à statutis limitatur, & in eodem tempore præsentabunt quoque defensiones, accusarum, denuntiarum, & inquisitionum, quibuscumq; accusatis, denuntiatis, vel inquisitis, sub pæna contenta in capitulo de accusis, & denuntijs, & earum deffensionibus; pulsabunt Consilium quoties eis per Prætorem, aut per Sindicos iussum fuerit; facient quoque omnes cridas, & proclamationes solitas, & quascumque alias, quæ eis ordinabuntur per Prætorem, aut Consules respectiue omnesque incantus, & deliberationes rerum Communitatis, ac pignorum priuatorum. Ibunt cum Collaterali pro quibuscumq; exequutionibus, & pro negotijs Com-

munis Prætoris, vel Consulum, iustitiam ministrantium faciendis, & ei parebunt, præcedente semper mandato, vel licentia Prætoris, vel Consulum, quoscumque inuenerint damnum dare in rebus alienis, aut quouis modo delinquere, & contrafacere statutis, & proclamationibus accusabunt, & si aliquem monendum, assignandum, seu citandum, aut in aliquo contrafaciendum excusauerint, sustinebunt pœnam solidorum decem pro quolibet contrafaciente, & qualibet vice, & qui aliquam accusationem, seu denuntiationem, aut rellationem non veram, seu iniustam fecerit, & fuerit per vnum bonum testem ad minus conuicti pęnam fustigationis incurrăt, & damnum emendĕt, ei quem ex ipsa non vera rellatione læserint, & remouebitur ab officio, & remanebit perpetuo infamis, & vlterius tenebitur ad omnia damna expensas, & interesse parti læsæ vtsupra, citabunt dicti Nuntij gratis pro citatione per tres terminos quamcumq; personam Ciuem, seu habitantem Aquis intra Ciuitatem ad instantiam cuiuscumq; Ciuis Aquarum, aut ibi habitantis, si vero citandus fuerit extra Ciuitatem habebunt pro sua mercede solidos tres à quocumq; Ciue, vel habitante Aquis, à forense autem solidos sex, Item habebunt pro suo sallario à communi florenos tredecim pro quolibet eorum, & plus, vel minus prout Consilium ordinauerit eis soluendos per Clauarium Communis singulis tribus mensibus pro rata, nec non Biretum vnum quod Commune Ponzoni tenetur dare quolibet anno in Festo Sancti Thomæ Apostoli, Nuntio Communis Aquarum. Item pro quocumque alio præcepto alicui verbo, vel in scriptis facto solidum vnum cum dimidio, & tantumdem pro quacunquealia scriptura, quam præsentabunt. Item pro quocunque pignore intra Ciuitatem solidum vnum cum dimidio extra vero solidos tres. Item pro quacunque detentione quam cum collaterali fecerint solidos tres à Ciue Aquarum, aut ibi habitante, à forense vero solidos sex. Item pro associando aliquem in possessionem cuiuscunque prædij rustici, vel vrbani solidos tres intra Ciuitatem, & extra solidos sex, item pro quolibet incantu, & deliberatione pro quauis persona particulari à florenis viginti quinque infra solidos tres, & à florenis vigintiquinque supra vsque in quinquaginta solidos nouem & ab inde supra, quantacunque erit summa florenum vnum in totum. Item pro quacunque crida ad instantiam alicuius particularis solidos tres; item pro quacunque accusatione, quam facient de aliquo contrafaciente tertiam partem banni, vel pęnæ, Nuntij prædicti si ali-

si aliquod secretum consilij audiuerint, & propallauerint, sint infames, & priuentur in perpetuum ab omni officio communis, & candem pęnam incurrant si aliquod de bonis Communis surripuerint, & si recesserint à Ciuitate sine licentia iusdicentis, & Sindicorum, soluant pro pęna solidos triginta qualibet vice, & quolibet die, quo steterint absentes, si autem emerint ad publicum incantum aliquod pignus illud amittant, & Communi applicetur duret eorum officium per annum tantum nisi à consilio vltra fuerint reformati.

De Officio Campariorum Nemorum, & Finium. Cap. 32.

Camparij affirmentur viri probi, & bonæ vocis, & famæ, & maiores vigintiquinq; annis, videlicet quatuor pro toto anno, & tempore messium affirmentur duo alij pro vno mense tantum, & similiter tempore vindemiarum, vltra quatuor ordinarios addantur alij duo pro vno mense dumtaxat. Affirmetur item Camparius particularis Nemorum Moirani pro toto anno, & credatur iuramento dictorum campariorum, de omnibus accusationibus, & denuntijs quas facient de dantibus damnis super finibus, & in Nemoribus Communis, vel particularium, iurabunt autem in manibus iusdicentis in solemni forma stabunt omnibus diebus, nisi pluuia, vel niuæ impediti fuerint, ac etiam de nocte quousque messes legumina vue castaneæq; collecte, & ad domum reducte fuerint ad custodiam finium, & quod custodient diligenter, & sine fraude vel dolo remotisq; amore timore prece, & premio, omnia nemora communia, & particularium personarum omniaque bona, & prædia sita super finibus aquarum respectiue, & prout ad vnum quemcunq; eorum spectabit, & quod omnes siue personas, siue bestias, vel animalia Damnum dantes accusabunt accusationesq; & denuntias scribi facient, per Notarium Communis intra tempora quæ à statutis limitantur, & si inuenerint forenses vel eorum animalia damnum dare, aut aliquid asportare eos, seu eorum animalia impune capient, & in termino vigintiquatuor horarum prætori vel consulibus si ab ipsis iustitia administrabitur. Consignabunt, & quicunq; alius qui eis auxilium dederit, Impunis etiam abibit si autem capere non poterunt eos accusabunt seu denuntiabunt vt supra quod si aliquem damnum dantem vel asportantem aliquid non accusauerint, seu non reperient intra terminum

eis per Prætorem, vel Consules respectiue præfigendum, tenebuntur ad emendationem damni iuxta extimationem extimatorum malepagarum & si quis eorum cum aliquo concordauerit soluet pro eo bannum, & vlterius stabit ad berlinam per horas tres qualibet vice, & si aliquis ipsorum Campariorum, seu de familia, eorum damnum dederit, vel aliquid exportauerit, soluet damnum duplicatum, & credatur iuramento cuiuscumq; qui eos accusauerit nisi odio accusationem porrexerit, aut quia ipse, aut aliquis de eius familia à campario quem accusabit prius fuerit accusatus, & si conuicti fuerint camparij, de mendacio, vel omissione accusando etiam per vnum bonum testem dumtaxat, erunt perpetuo infames, nec officium camparij amplius gerent, & soluent communi pęnam florenorum decem, si aliquod exercitium præter campariam, aut laborerium fecerint, sint in pęna vnius ducati pro quolibet contrafaciente, & qualibet vice non tenebit aliquis eorum, nec de eius familia habitationem extra Ciuitatem, excepto campario Nemorum Moirani, si fuerit de Moirano, habebit vnusquisq; eorum salarium, quod conuentum extiterit, & etiam partem bannorum forensium, si eos, aut eorum animalia ceperint, & ad Prætorem duxerint, & dicti forenses incontinenti soluerint. Alioquin habebunt dumtaxat sextam partem, siue fuerint banna Ciuium, aut habitantium Aquis, siue forensium, præstabunt autem Camparij cum affirmabuntur idoneam fideiussionem erga Sindicos, quod omnia prædicta obseruabunt.

De Officio Clauarij. Cap. 33.

CLAVARIVS Communis teneatur exigere omnes redditus, & prouentus Communis, ac omnes collectas, taleas, prestita, & onera cuiuscumque generis, & quocumq; nomine vocentur, quæ tempore suæ Clauariæ imponentur, necnon banna, & pęnas omnes impositas, & imponendas, durante eius Clauaria Communitati spectantias, & omnes prouentus, fictus, & redditus Communitatis, ex quacumque causa, & pecunias exactas, diligenter, & sine fraude custodire, & de eis soluere omnibus creditoribus Communis, qui ei præsentauerint buletam sui crediti subscriptam à

Sindicis

Sindicis, & non aliter, sub pęna soluendi de proprio, teneatur tamen prius soluere Ordinarium Illustrissimi Domini Marchionis, salarium Prætoris, Medici, Rectoris Scolarium, & aliorum Salariatorum à Communi debitis, & Consuetis, vel conuentis temporibus, & in fine sui officij reddat rationem Sindicis, & Rationatoribus Communis, & reliqua restituat, non possit aliquid expendere de ære Communis, sine licentia Consilij, nisi emendo papirum, & cartam pro faciendis libris, & quinternetis Communis, & stamineis, vel specularijs palatij, seu in reparatione vtensilium necessariorum pro palatio, dum tamen non expendat vltra florenos decem, nec det Sindicis de peccunijs Communis, vltra florenos vigintique sine licentia Consilij, teneatur dare camparijs, alijsue accusatoribus suam partem bannorum, & pęnarum necnon emendarum pro damnis datis eas habere debentibus infra dies tres post quam eos exigerit, & teneatur eas exigere infra mensem postquam fuerint factæ condemnationes, & sibi datum per Notarium Communis, sub pęna vnius floreni qualibet vice, teneatur insuper ad omnia damna, expensas, & interesse Communitatis si non soluerit Illustriss. D. Marchioni, Officialibusq;, & alijs creditoribus Communis, vel debitores Communis, non exegerit intra debita tempora, non possit aliquam retentionem, vel contractum facere cum aliquo creditore Communitatis nisi compensare creditum liquidum, quod aliquis haberet aduersus Communitatem, nec quouis modo capiat aliquid ab eo, cui quid soluere debeat pro Communi, etiam si creditor vellit ei aliquid sponte dare, vel remittere aliter incurrat pęnam dupli eius quod receperit Communi applicandum; nec similiter possit aliquid accipere insolutum à debitoribus Communis, nec vllum pignus ad incantum emere, donec steterit Clauarius, sub pęna prædicta, nisi fuerit de voluntate Consilij, nec facere aliquam compensationem pro aliquo suo credito cum Communi, nisi pro suo salario, & in fine sui officij, teneatur quoque soluere manualibus, magistris, & alijs facientibus aliquod opus, seu laborerium pro Communi, necnon Ambassatoribus Communis eorum mercedem, & salarium infra dies octo postquam opus laborerium & Ambassatam fecerint, & præsentauerint bulletam subscriptam à Sindicis, & Rationatoribus Communis singula singulis congrue refferendo sub pœna floreni vnius toties per eum incurrenda, quoties contrafecerit, & si non habebit pecunias Communis statim notificet Consilio, vel Sindicis, quotiescumque per eos, seu per Nuntium parte Prætoris, & Iusdicentis vocatus fuerit, & accedat cum Collaterali,

& Nuntijs ad faciendum exequutiones, & pignora cum libro, & quinterneto suo, & cum ostendat cuilibet debitori, quem pignorari facere voluerit, & similiter cuicumq; creditori Communis si ab eis fuerit requisitus, nullum pignus capiat penes se nisi prius illud per Notarium Communis annotari fecerit, sub pena prędicta, quoties in aliquo prædictorum defecerit, curam habeat omnium bonorum mobilium Communis, ac vtensilium Palatij eorumq; rationem reddat Clauario subsequenti, iurabit autem in ingressu sui officij solemniter in manibus iusdicentis prædicta omnia, & singula obseruare, & bonum, & legalem computum, ac rationem suæ exactionis, & administrationis reddere, in fine sue Clauariæ, & etiam durante eius officio, toties, quoties opus fuerit, & requisitus reliqua restituet infra tempus quod ei statuerit Communitas, sub pœna vnius ducati, pro quibus omnibus, & singulis obseruandis, & adimplendis idoneam prętabit fideiussionem arbitrio Consilij, vel Sindicorum Communis, eius salarium erit quicquid pro quo obtulerit se velle facere clauariam tempore eius subhastationis, & deliberationis, durabit eius officium per annum, & non vltra nisi fuerit de voluntate Consilij.

FINIS LIBRI PRIMI.



STATVTORVM

CIVITATIS AQVARVM

LIBER SECVNDVS.

In quo de ordinibus Iudiciorum, & exequtionibus statuitur.

PROEMIVM.

POST electionem Prætoris, & aliorum Officialium Communis eorumq; Officia, & administrationum, dicendum est, de ordinibus Iudiciorum, & his quæ ad causas præsertim Ciuiles pertinent.

De Citationibus, & Relationibus. Cap. I.

PRimo statuitur, quod citationes, monitiones, assignationes, inthimationes, & præcepta, quæ verbo fieri contigerit in quacumq; causa fiant per Nuntium Communis personaliter, vel ad domum solitæ habitationis, in personam patris pro filio, aut filij, qui sit maior viginti annis pro patre, aut in personam mariti pro vxore, vel vxoris pro marito, aut fratris, vel sororis, maioris viginti annis pro fratre, vel sorore, si prædicti omnes simul habitauerint, excepta tamen citatione per tres terminos, quæ tantum fieri possit personaliter, & debeat, citationes verò monitiones, assignationes, præcepta, & inthimationes, quę fiunt in scriptis possunt fieri ad domum solitæ habitationis, & ibidem dimitti quauis persona de familia, quæ sit maior quatuordecim annis vidente, & relationes dictarum citationum, monitionum, &c. fiant per eundem nuntiũ Notario Communis intra dies duos immediatè sequentes nisi aliquid eum impedierit, de quo stetur arbitrio Prætoris, vel Consulum, si ipsi iusdicent. Alioquin tam citationes, monitiones, assignationes, pręcepta, inthimationes prædictæ, quam eorum relationes, sint nullius momenti. Fiat autem quęlibet citatio monitio, vel assignatio de comparendo coram Prętore hora iuris tertiarũ, vel vesperorum, nisi in causis forensium, aut habitantium extra fines Aquarũ, aut in causis delegatis, aut vbi testes essent examinandi, seu in causis criminalibus, in quibus quocunq; tẽpore, & quacunque hora procedere liceat.

Quando Præcepta per Prætorem concedi possint. *Cap. 2.*

NON possit tamen Pretor à præceptis prefertim penalibus inchoare, nec concedere contra aliquem Ciuem Aquen. aut Aquis habitantem de faciendo vel soluendo aliquid, nisi in causis criminalibus, aut penarum, & contra debitores Communitatis, pro dacitis, aut alia ex causa; Item pro salario, vel mercede alicuius, aut pro fictu, ac pensione domorum, aut aliarum rerum, vel pro causa alimentorum, aut contra famulos, vel famulas, pedissequas, aliosq; operarios pro seruitijs, vel operibus eorum, aut contra eum, qui haberet administrationem publicam, vel priuatam, vel pro causa Instrumentaria cum iuramento, seu pro exequutione alicuius sententiæ, vbi ex officio Iudicis procederetur, aut pro debito quod quis in iudicio confessus est, aut pro aliqua causa, mere possessoria, vel pro causa dotis, legati, aut alterius debiti ex testamento. Alioquin talia precepta sint ipso iure nulla, nec in vim simplicis citationis conuertantur virtute clausulæ iustificatiuæ. Cum qua facta essent, præcepta autem de non soluendo, seu non faciendo aliquid, aut de desistendo, vel supersedendo in aliquo opere, seu administratione, possint fieri, & concedi indistinctè etiam cũ pena, dummodo pena non excedat quantitatẽ taxatã in cap. de Iurisdictione Pretoris, & dũmodo talia precepta sint facta cũ clausula iustificatiua.

De Accusis, & Denuntijs, ac earum defensionibus. *Cap. 3.*

ACcuse verò, & denuncie fiant Notario communis, per camparios, aliosue accusatores, & denuntiatores, vbi eorum iuramento sit standum, & aliæ probationos non requirantur, intra dies tres immediate sequentes, post diem, quam damnum datum, seu factum fuisse, aut aliquem contrafecisse statutis, & ordinibus, ac proclamationibus depræhenderint, alias accuse, seu denuntie, sint ipso iure nullæ, & camparij teneantur ad damnum, & interesse omnium quorum interesit, scribantur quoq; prædictæ accuse, vel denuncie, per Notarium communis infra dies duos, postquam datæ, seu porrectæ fuerint in libro accusarum, seu denuntiarum cum nomine, & cognomine accusantis, aut denuntiantis, ac nomine, & cognomine accusati, vel denunciati, necnon cũ die, & loco, seu predio absq; tamen coherentiis, vbi damnum datum, seu illatũ, aut contrafactum fuerit, & nomine illius cuius erit predium cum qualitate damni, aut contrauentionis, & teneatur prædictus Notarius defensiones in scriptis tradere Nuntio Communis, infra dies tres, postquam accuse, seu denuntie scriptæ fuerint. Teneaturq; Nuntius infra alios dies tres, eas præsentare accusatis, seu denuntiatis, personaliter, vel ad domum eorum solitæ habitationis, alioquin

alioquin ipso iure non valeant. Et Notarius, seu Nuntius, qui contra fecerit teneatur soluere bannum, seu pęnam, quam soluisset accusatus, vel denuntiatus, fiant autem defensiones per accusatos, & denuntiatos coram eodē Notario communis infra dies quatuor à die qua eas habuerint, alias sint nullæ ipso iure, & cognoscantur, & diffiniantur prædictæ accusę, & denuntię condemnēturq; seu absoluantur accusati, vel denuntiati prout iuris erit infra mensem, si per iusdicentem erunt condemnandi, vel absoluendi, & infra duos menses si condemnandi, vel absoluendi erunt per condemnatores bannorum in palatio communis, & ad Tribunal iuris prout continetur in capitulo de officio condemnatorum bannorum campestrium, nec possit condemnatus à prædictis condemnatoribus appellare, nec de nullitate dicere possit tamen si condemnatus requisiuerit condemnatio reuideri per Prætorem, aut iusdicentem, & expedire infra dies sex, à die condemnationis numerandos simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura Iudicij, solaq; facti veritate inspecta.

De modo procedendi in causis Criminalibus, vbi requirantur probationes. Cap. 3.

IN causis autem criminalibus, in quibus ex officio, & per inquisitionem procedendum est ex dispositione statutorum etiam ad accusationem quærellam, vel denunciam alicuius, vbi probationes requirantur, si imponenda erit pęna peccuniaria, & reus poterit eam soluere sumptis prius inditijs formetur contra eum inquisitio infra sex dies à die qua peruenerit ad aures iusdicentis delictum, seu maleficium commissum esse, deinde citetur reus personaliter, vel ad domum solitæ habitationis, in scriptis ad comparendum coram iusdicente personaliter, & non per Procuratorem oretenusq; & non in scriptis ad in termino dierum quatuor respondendum inquisitioni contra eum formatæ, sub pœna criminis confessi, & conuicti, & si contumax fuerit incurrat bannum solidorum sex, & denuo citetur vt supra, & statuantur ei dies tres ad respondendum vt supra dictum est & si adhuc non comparuerit soluat pro banno solidos duodecim, & tertio iterum citetur in omnibus, & per omnia vt supra, cum termino tantum bidui, & si adhuc in contumatia perstiterit, habeatur ipso iure, & sine alia declaratione pro confesso, & conuicto de delicto, de quo inquisitus fuerit, & absq; aliqua examinatione, vel repetitione testium assignetur ad faciendū defensiones, quare diffinitiue condemnari non debeat in pęnis iuris, vel statutorum Ciuitatis in termino dierum octo, & si nullas fecerit defensiones in dicto termino citetur ad audiendum sententiam, vel condemnationem certa die, & hora per Prætorem, vel Consules respectiue statuenda, & procedatur ad sententiam prout iuris erit infra alios octo dies. Si vero reus

aufugerit, aut allegata fuerit per aliquem pro eo interuenientem eius absentia, quam allegans teneatur probare saltem suo iuramento, & assignetur idem reus per proclama, quod fiat per Nuncium Communis in platea archiuolti, si fuerit forensis, & Aquis non habitauerit, si autem fuerit Ciuis vel Aquis habitauerit, fiat etiam proclama ante domum habitationis ipsius rei, tribus vicibus separatim, ita quod infra vnum proclama, & aliud inter media sit vna dies ad minus post terminum, qui fuerit ei præfixus, & statuantur prima vice dies sex, secunda dies quinque, & tertia dies quatuor ad comparendum coram Prætore, vel Consulibus respectiue in palatio Cōmunis ad respondendum inquisitioni modo, & forma, ac sub pœna criminis confessi, & conuicti prout supra dictum est, & quodlibet proclama affigatur in dicta platea, in loco solito, & de eo fiat relatio Notario Communis, & lapsis dictis terminis reoq; non comparente habeatur pro confesso, & conuicto, vt supra, & citetur per aliud proclama modo supradicto, per quod assignetur ad faciendum defensiones in termino dierum decem, quare diffinitiue condemnari non debeat, & si adhuc in prædicto termino non comparuerit, nec aliquas defensiones fecerit, citetur ad audiendum sententiā per aliud proclama, vt supra certa die, & hora prout iusdicenti placuerit, & proferatur sententia intra dies decem, quæ intimetur ei per aliud proclama modo prædicto. Si reus intra terminum aliorum dierum decem comparuerit solitis bannis contumacialibus, admittatur ad respondendum oretenus inquisitioni, & habita responsione si quid affirmatiua fuerit statuatur ei dies octo ad faciendum defensiones prestita prius per eum fideiussione de stando, & parendo iuri, & iudicatum soluendo, si pęna erit peccuniaria, & modum habebit eam soluendi, & factis defensionibus, vel non condemnetur, vel absoluatur prout iuris erit, intra alios dies octo, si vero in termino dictorum dierum octo non comparuerit, mittatur sententia exequtioni secundum statuta, si autem reus negauerit, & pęna fuerit pecuniaria, & poterit eam soluere præstita fideiussione vt supra relaxetur, & statuantur ei dies quatuor post habitam, seu illi inthimatam copiam inquisitionis ad videndum singulis diebus, & horis durante dicto termino fieri probationes de delicto, & deferri iuramentum testibus contra eum repetendis, & examinandis ad presentandum sua interrogatoria si quæ dare, & præsentare voluerit faciendis dictis testibus, & in dicto termino fiant probationes contra eum, & repetantur testes, qui pro inditijs sumpti fuerint, & alij de nouo examinentur si haberi poterunt, quibus testibus repetitis, & examinatis, & publicationibus factis, assignetur reus ad contra dicta, & personas eorum, ac alias probationes opponendū quicquid voluerit, & putauerit sua interesse, & ad faciendum omnes suas defensiones intra dies octo absq; vlla publicatione testium, qui ipso iure cum vniuerso processu pro publicatis habentur

tur, decerneturq; reo copia dictorum testium, & totius processus, & donec ipsa copia ei data, vel inthimata fuerit non currat contra eum dictus terminus, & lapso dicto termino citetur ad audiendum sententiam certa die, & hora per Iusdicentem statuenda intra alios dies octo, in quo termino condemnetur, vel absoluatur, prout iuris erit, si vero pęna debebit esse corporalis, & indefectum pęnæ pecuniariæ incarceretur reus si poterit, & sub custodia teneatur, & ad capturam sufficiant qualiacumq; indicia, & siue fuerit incarceratus, siue non, contra eum procedatur secundum formam iuris condemneturq; si erit condemnandus secundũ statuta Aquensia, in prędictis autem causis, siue pęna erit corporalis, siue pecuniaria teneatur reus respondere inquisitioni toties quoties à Iusdicente fuerit requisitus absq; quod copia capitulorum inquisitionalium ei detur.

De citatione per tres terminos. *Cap. 5.*

POssit quoque Iusdicens ad instantiam cuiuscumq; & per quacumq; causa ciuili, citare facere per Nuntium communis quæmcumq; Ciuem, aut habitantem Aquis, per tres vices, seu terminos iuris continuos, & more solito ad comparendum coram eo ad banchum iuris ad audiendum petitiones, seu requisitiones ei faciendas fiatq; citatio per Nuntium verbo in personam citandi, & non aliter, vt supra dictum est, & sufficiat quod ipse Nuntius dicat se parte Iusdicentis eum citasse per tres terminos, intelligendo tamen quod possit Nuntius Communis ad cuiuscumq; priuati instantiam citare quascumq; personas, vt compareant in iure corã Iusdicente ad audiendum petitiones absq; quod teneatur petere licentiam à Iusdicente.

De Præcepto mittendo in scriptis citato per tres terminos. *Cap. 6.*

ET si lapsis prędictis tribus terminis factaq; relatione Nuntij, & scripta per Notarium Communis in libro actorum, & contumaciam per creditorem, seu actorem accusata citatus non comparuerit teneatur Iusdicens ad instantiam dicti creditoris citare debitorem in scriptis inserendo in citatione nomen, & cognomen vtriusq; & terminum debitori assignare, qui non sit minor duorum dierum intra quem comparere debeat coram eo ad tribunal iuris, & hora iuris ad audiendum petitiones, seu requisitiones creditoris, vel alias ad videndum, & audiendum se condemnari, quæ citatio ei personaliter, vel ad domum eius solitæ habitationis præsententur per Nuntium Communis, & de ea fiat relatio, scribaturq; in libro actorum per Notarium Communis vt supra.

De condemnando debitore contumace. *Cap. 7.*

ET si debitor, vel reus adhuc fuerit contumax, & creditor accusauerit eius contumaciam, & probauerit per Instrumenta, vel testes summarie, & sine vlla solemnitate examinandos, vel cum ipsius creditoris iuramento si debitum fuerit à florenis vigintiquinq; infra in manibus iusdicentis tactis corporaliter scripturis, præstando se esse creditorem talis contumacis debitoris teneatur Iusdicens statim debitorem ipsum condemnare in summa principali, ac in expensis legitimis, necnon & in solidis tribus pro qualibet contumacia soluendis creditori intra octo dies post cōdemnationem ei inthimatam, & quam teneatur iusdicens inthimari facere condemnato per Nuntium Communis personaliter, vel ad domum eius solitæ habitationis, infra duos dies immediate sequentes, & facta dicta inthimatione, & relatione Nuntij, & ea scripta in actis per Notarium Communis lapsoq; termino dierum octo dictorum, si condemnatus non comparuerit, nec aliquid opposuerit, fiat exequtio contra eum modo, & forma prout dicetur in capitulo de exequtione condemnationū, & sententiarum.

De modo procedendi contra debitorem latitantem, & non permittentem se personaliter citari. *Cap. 8.*

QVod si debitor latitauerit, nec copiam sui fecerit, vt personaliter per tres terminos citari possit, hoc est si præcesserit trina inquisitio Nuntij Communis ad domum eius solitæ habitationis de eum reperiendo, & citando personaliter de qua inquisitione stetur ipsi Nuntio, quod omnem diligentiam adhibuerit, vt debitorem personaliter apprehenderet, & citaret, factaq; & scripta in libro actorū per Notariū Communis dicti Nuntij relatione, procedatur contra talem debitorem, tamquam debitorem absentem, & expediatur causa, ac si debitor ipse præsens esset.

Quomodo sit procedendum si citatus comparuerit post condemnationē. *Cap. 9.*

ET si debitor comparuerit in termino dierum octo, postquam fuerit condemnatus, & condemnatio fuerit ei inthimata, & allegauerit se iniuste, & vltra debitum condemnatum fuisse, non audiatur etiā quod actor non opponat, nisi prius deposuerit pignus valoris vltra debitū condemnationis apud actorem, & ei omnes expensas restituerit, ac idoneæ fideiusserit de futuris expensis, & his præcedentibus admittatur ad opponēdum, & excipiendum quicquid voluerit, procedaturq; in causa secundum dispositionem statutorum Aquen. & secundum qualitatem causæ, & si compertum fuerit asserentem se creditorem petijsse scienter aliquid iniuste, vel

vltra quam deberet petere, cadat in pęnam florenorum quinque Communi applicandorum pro duabus tertijs partibus, & pro alia tertia Domino Prætori, & iusdicenti, & insuper condemnetur in omnibus expensis, quas debitor fecerit.

De modo procedendi si citatus comparuerit auditurus petitiones creditoris. Cap. 10.

SI vero citatus per tres terminos in aliquo ex suprascriptis terminis ante condemnationem, & obtulerit se paratum audire petitiones actoris asserentis se esse eius creditorem, solutis prius expensis factis per actorem, & pęnis contumacialibus, admittatur ad audien. petitiones, quibus auditis si sponte confessus fuerit debitum teneatur iusdicens eum condemnare, terminumq; dierum decem ei assignare ad soluendum, & eis elapsis si debitor condemnatus non soluerit, fiat contra eum exequutio secundum statuta, quod si negauerit, aut aliquid opposuerit facta solutione expensarum, & pęnarum contumacialium, vt supra iusdicens partibus iustitiam faciat, procedendo summariè, seu ordinariè prout causa expostulabit secundum statuta infrascripta.

De causis à florenis decem infra, & aliæ summariè terminandis. Cap. 11.

NAM si quidem petitio actoris fuerit à florenis decem infra inclusiuè aut fuerit causa alimentorum vsus habitationum, vel vsus fructus bonorum legatorum in testamento, vel alia vltima voluntate dacitorum, seu pedagiorum, ac tallearum, & collectarum, bannorum, mulctarum, pęnarum, pecuniarum criminalium Communis, vel personarum priuatarum, nec non & salariorum diurnorum mensualium, vel annualium, fictus, & pensionum domorum, vel aliarum rerum, & refectorum, ad pias causas, & quælibet ex prædictis causis non excesserit quantitatem florenorum vigintiquinque, talis causa cognoscatur, & diffiniatur velo leuato, summarie, simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura iudicij, solaq; facti veritate inspecta, & manu regia, & statuantur dilationes vtriq; parti per ipsum iusdicentem, prout ei videbitur, ita tamen, quod instantia dictarum causarum non duret vltra mensem à die requisitionis, seu quærellæ propositæ, & in scriptis redactæ apud acta, & copia teneatur Actor reo, seu conuento traddere, suis sumptibus, & reus ei respondere, in termino dierum trium, nisi in continenti respondere maluerit & diffiniatur dicta causa, per iusdicentem, intra dictum tempus, sub pena florenorum trium communi applicandorum.

De Appellatione, & Nullitate in causis summarie decidendis. Cap. 12.

Data autem sententia diffinitiua, in causis prædictis, possit vtraq; pars si causa excesserit florenos tres, vsq; ad decem appellare, & de nullitate dicere ad Illustrissimum D. Marchionem Montisferrati semel tantum, tam agendo, quam excipiendo infra dies tres numerandos a die latæ sententiæ, & scientiæ, & Iudicem causæ ipsius appellationis, & nullitatis, impetrasse infra dies sex post apostolos sibi datos alioquin dictæ appellationi, & nullitati renuntiasse intelligatur ipso iure, & prima sententia firma maneat, & exequtioni mandetur, teneatur vero iusdicens tali appellatione, & nullitate interposita super ea quamcumq; ordinationem facere, & apostolos, vel litteras dimissorias parti, quæ eas semel requisiuerit traddere in termino dierum trium post appellationem, & nullitatem interpositam, sub pena antedicta, & duret instantia dictæ appellationis, & nullitatis, dies viginti continuos numerandos à die requisitionis factæ coram Iudice deputato super dicta appellatione, & nullitate, & per ipsum Iudicem dillationes eius arbitrio statuantur in huiusmodi causa, & quæstione, & per ipsum causa ipsa finiatur infra tempus dictæ instantiæ, ac in ea procedatur prout disponunt decreta Marchionalia, sub titulo de appellationibus in causis à florenis duobus vsq; ad florenos viginti

De Causis à florenis decem supra, vsq; in florenos Vigintiquinque & modo in eis procedendi. Cap. 13.

Sed si petitio Actoris, seu causa, lis, & controuersia fuerit à florenis decem exclusiue, vsque ad florenos vigintiquinque inclusiue, procedatur similiter per iusdicentem in tali causa, lite, controuersia summarie simpliciter, & de plano sine strepitu, & figura iudicij, solaq; facti veritate inspecta, & duret eius instantia duos menses continuos numerandos à die petitionis, seu requisitionis factæ, & scriptæ in libro actorum per Notarium Communis quam teneatur actor tradere eius sumptibus reo, & reus ei respondere infra dies quinque prox. sequuturos, & facta responsione, vel non, habeatur lis pro contestata absq; alia declaratione, & statim currat actori ipso iure terminus dierum quindecim probandi, & probatum habendi intentionem suam, quibus lapsis currat pariter ipso iure terminus aliorum quindecim dierum probandi, & reprobatum habendi exceptiones suas, & vlterius possit vtraq; pars in terminis prædictis probare, & reprobare quicquid voluerit, & sua interesse putauerit, & omnibus prædictis terminis elapsis censeatur ipso iure conclusum, in causa, teneanturq; ambæ partes presentare

processum, & acta, & iuris allegationes si quas præsentare voluerint coram Iusdicente in termino aliorum dierum quindecim, immediatè sequentium, teneaturq; Iusdicens intra reliquum tempus instantiæ prædictæ, sententiam suam protulisse clare, & aperte, sub pœna florenorum quinque, Communi applicandorum vtsupra.

De Appellatione, & Nullitate in causis a florenis decem supra, vsq; ad vigintiquinque. Cap. 14.

Liceat autem lata sententia diffinitiua in causis à florenis decem excluliue, vsque ad florenos vigintiquinq; inclusiue, vtriq; parti ab ea appellare, & de nullitate dicere semel tantum, tam agendo, quam excipiendo ad præfatum Illustrissimum D. Marchionem, in termino dierum quinque numerandorum à die latæ sententiæ, & scientiæ, alias appellans, & de nullitate dicens censeatur ipso iure appellationi, & nullitati renuntiasse, & sententia ipsa mittatur exequutioni, & teneatur iusdicens appellatione, & nullitate vtsupra interposita semel requisitus à parte appellante, seu de nullitate dicente, Apostolos ei tradere, infra alios dies quinque proximè sequentes sub ante scripta pęna Cõmuni applican. cuius appellationis instantia duret dies quadraginta à die petitionis oblatæ coram Iudice deputato quem dictus appellans impetrasse teneatur infra quatuor dies post Apostolos sibi datos coram quo teneatur qualem petitionem in scridtis offerre, & parti notificasse infra alios quatuor dies proximè sequentes, quibus elapsis, currat apdellanti ipso iure terminus dierum decem prox. sequen. probandi, & probatum habendi, & ipsis decem diebus elapsis, statim currat reo ipso iure terminus aliorum decem dierum probandi, & reprobandi, & probatum habendi quicquid voluerit post quorum terminorũ transcursus Iudex teneatur, & debeat infra reliquũ tẽpus instantiæ, suã diffinitiuã protulisse sententiã clare, & aperte &c.

De modo procedendi in causis à florenis vigintiquinq; supra. Cap. 15.

Ceterum si causa lis, & controuersia fuerit a florenis vigintiquinque supra, quantacumque fuerit summa, teneatur Actor qualemcumque petitionem in scriptis offerre, quæ tamquam sufficiens admittatur, & admissa ipso iure intelligatur, si contineat rem, seu quantitatem, quæ petitur, & causam ex qua petitur, & teneatur Reus dictæ petitioni respondere, infra dies nouem inclusiue, numerandos à die petitionis oblatæ, & ipsi Reo parte Iusdicentis, personaliter, vel ad domum eius solitæ

habitationis præsentatæ, seu notificatæ per copiam, seu exemplum expensis actoris in quo termino siue reus responderit, siue non, habeatur lis pro contestata, & duret instantia talis causæ per menses quatuor continuos numerandos à die prædictæ petitionis reo vtsupra præsentatæ, & notificatæ, & non vltra, & prædictis seruatis lapsoq; termino dierum nequem currat actori ipso iure terminus vigintiquinque dierum continuorum oppon͞en. probandi, & producendi, quicquid voluerit, in quo termino possit quoque reus probare & producere quicquid voluerit, & putauerit sua interesse, deinde lapso dicto termino currat reo ipso iure terminus alio rum vigintiquinq; dierum continuorum excipiendi, probandi, & reprobandi quicquid voluerit, & in eodem termino liceat actori idem facere, & probationes suas coadiuuare, & fortificare, quibus terminis decursis currat statim vtrique parti terminus aliorum vigintiquinque dierum proxsseq̄uen. reprobandi, & impugnandi quæcumq; agitata, & producta; ac ostensa per vtranq; partem in terminis prædictis, quibus omnibus elapsis &c. & intelligatur in causa conclusum, & omnia agitata, producta, & ostensa per ambas partes, intelligantur ipso iure, & absq; aliqua declaratione publicata, & de eis fiat copia partibus ipsis, nec vlterius liceat alicui earũ aliquid producere, probare, vel reprobare, nec possit iusdicens dictos terminos abbreuiare, nec prorogare, teneantur insuper dictæ partes infra dies viginti immediate sequen. extrahi, & exemplari fecisse vniuersum processũ dictæ causæ, & ipsum liquidatum, & subscriptum manu Notarij, vel Notariorum eiusdem causæ præsentasse coram Iusdicente, & realiter in manibus eius dimisisse, alioquin lapso dicto termino præsentatio sit nullius momenti, teneatur deinceps iusdicens intra reliquum tempus instantię suã sententiam absolutoriam, vel condemnatoriam protulisse clare, & aperte, & sine aliqua conditione, sub pęna florenorum decem applicandorum Communi.

Quod Exceptiones, & Replicationes reseruentur in conclusione causæ.

Cap. 16.

ET si quidem reus in termino sibi vtsupra assignato ad respondendum petitioni actoris, vel in aliqua parte litis proposuerit, seu opposuerit aliquas exceptiones, aut replicationes dilatorias, declinatorias, perhemptorias anormalas, aut alias quascumque, siue actor, in aliqua parte litis, vel causæ, aliquas ex prædictis exceptionibus, seu replicationibus proposuerit, seu opposuerit cõtra reũ, ipsis talibus exceptionibus, vel replicationibus pro tũc nõ obstantibus, procedatur ad vlteriora

in causa ita tamen, quod ipsæ omnes exceptiones, & replicationes de quibus non fuerit cognitum, & decisum sint saluæ, & reseruatæ intelligantur in conclusione causæ tempore disputationis, & super ipsis cognoscatur, & decidatur prout iustitiæ suadebit, debeat tamen ipse Iusdicens in litis exordium cognoscere, & terminare super exceptione declinatoria Iudicis incompetentis, prædictæ autem exceptiones, & replicationes reijcte intelligantur si de ipsis per ipsum Iusdicentem non fuerit expresse facta mentio in eius diffinitiua sententia.

De Causis Cumpromittendis. *Cap. 17.*

POssit tamen quælibet pars, seu altera eorum dummodo sit Ciuis, aut habitans Aquis in principio quarumcumq; causarum, litium, & controuersiarum, ac quæstionum ciuilium, & ante litem contestatam de eis petere fieri cumpromissum, quod admitti debeat per Prætorem, seu Iusdicentem in quocumq; casu, in quo etiã Doctores dicerent tale statutum sibi non vendicare locum, prohibente iure cõmuni, & quod neutra partium istud allegare possit ad impediendum cumpromissum, teneaturq; Iusdicens ad instantiam partis petentis cumpromissum fieri cogere omnibus iuris remedijs alteram partem ad compromittendum, ita quod ambæ partes faciunt dictum compromissum, in termino dierum triũ a die requisitionis eiusdem cum insertione pęnæ, vel de iure, vel de facto prout partes voluerint in vnum, aut duos arbitros, seu arbitratores, & amicabiles compositores per eos communiter eligendos dummodo non fuerint Aduocati, vel Procuratores ipsarum partium, qui possint dictas causas, lites, quæstiones, & controuersias, cognoscere, & diffinire simpliciter, & de plano, ac sine strepitu, & figura iudicij. solaq; veritate facti inspecta intra tempus compromissi, quod si causa, lis, quæstio, & controuersia fuerit a florenis vigintiquinq; infra fiat per tres dies tantum, & per alios tres dies prorrogari possit, & si fuerit a florenis vigintiquinq; vsque in centum non sit maius decem dierum, & per tantundem prorogari possit, & a florenis centum supra, non sit maius viginti dierum, & per alios viginti dies prorogari possit, & non vltra fiatq; de dicto compromisso instrumentum in forma, & quicquid per dictos arbitros, vel arbitratores, & amicabiles compositores arbitratum arbitramentum, & diffinitum fuerit omnino per partes obseruetur, nec possit appellari, nec reclamari, nec de nullitate dici, nec peti reductio ad arbitrium boni viri, sed eorum sententia, & laudum mittatur exequutioni per Iusdicentem, sicut aliæ sententiæ secundum formam statuti de Exequutione condemnationum, & sententiarum nisi huiusmodi esset læsio, quæ excederet dimidiam quantitatis

seu iusti valoris rei compromissæ sufficiat autem vnica monitio,& assignatio per compromissarios, seu de eorum commissione partibus facta ad probandum, producendum, ostendendum ,& allegandum oretenus vel in scriptis quicquid pattes ipse voluerint, & putauerint sua interesse intra terminum eis per dictos compromissarios statuen. qui non sit minor dierũ quatuor. nec maior dierum octo : lapso vero termino dicti compromissi causa lite, quæstionæ, & controuersia non decisa nullum aliud fieri possit compromissum, nisi ambe partes fuerint concordes, sed procedatur per Iusdicentem in dicta causa,lite, quæstionæ, & controuersia secundum formam statutorum præcedentium ,& sequentium prout erit natura causæ, & valeant quæcumque acta coram dictis compromissarijs facta, ac si coram ipso Iusdicente agitata essent, & tempore dicti compromissi durante nulla currat causarum instantia, sed currere incipiat à die immediate sequenti post lapsum temporis compromissi.

De fideiussione in Iudicio præstanda, & per quem. *Cap. 18.*

SI quæ autem partium in quibuscumque litibus,causis,& controuersijs requisiuerit alteram fideiubere, destando, & parendo iuri, & iudicatum soluendo, non teneatur ciuis Aquarum, aut ibi habitans si possederit bona immobilia, in territorio Aquarum, in aliqua causa ciuili huiusmodi fideiussionem præstare, nisi vbi ageretur, aut conueniretur nomine alieno cum mandato, vel sine mandato, nam tunc ad requisitionem alterius partis, teneatur fideiubere in forma , antequam audiatur; forenses vero non habitantes Aquis, nec bona immobilia in eius territorio possidentes, siue agant, siue conueniantur, teneantur omnino antequam audiantur fideiubere vt supra.

De Interrogatorijs Positionibus, & Capitulis. *Cap. 19.*

ET quia plerumq; contingit in causis litibus, quæstionibus,& controuersijs, de quibus supradictum est facere, & producere interrogatoria positiones, & capitula statutum est, quod de ipsis interrogatorijs, positionibus, & capitulis detur, & fiat copia parti, contra quam producta fuerint, expensis producentis, & quod admittantur, & admissa esse intelligantur ipso iure, & nulla exceptione pro tunc obstante si producta fuerint in causis à florenis decem infra inclusiue per dies tres, & in causis a florenis vigintiquinq; inclusiue, per dies quinque, & demum in causis a florenis vigintiquinq; supra per dies octo ante finem prædictorum terminorum singula singulis congrue refferendo, & quod saluum, & reseruatum sit ius vtriq; parti capitulorum, positionum, & interrogatoriorum

riorum impertinentium, & non admittendorum in conclusione tempore disputationis. Prædictis autem positiouibus, & interrogationibus teneatur pars contra quam productæ fuerint respondere in termino ei per Iusdicentem statuendo, qui non sit minor trium dierum, nec maior dierum quinque purè, clarè, simpliciter, & sine aliqua conditione per verbum credit, vel non credit, & absq; verbo ignorat, vel nescit sub debito calumniæ iuramento ab vtraque parte præstando, alias habeantur pro confessis vel negatis ad electionem ponentis, & si dictæ positiones, vel interrogationes fuerint ipsi parti, contra quam productæ fuerint personaliter præsentatæ per nuntium à Iusdicente deputatum, vel ad domum solitæ habitationis eiusdem, aliquo de eius familia audiente, super quibus stetur relationi nuntij cum iuramento, seu per eundem Iusdicentem datæ ipsi parti personaliter, & in termino eidem parti per Iusdicentem statuto ad respondendum dictis positionibus, vel interrogationibus fuerit pars ipsa negligens, & contumax in respondendo, aut minus legitime respondendo positionibus, & interrogationibus antedictis, quod tunc ipso iure dictæ positiones, & interrogationes, habeantur pro confessis, & confessatis vel negatis, prout vtilius fuerit ipsi ponenti, & interrogati arbitrio ipsius ponentis, vel interrogantis, verum pro fraudibus, & fallitatibus euitandis in futurum, quæ super præsentatione dictarum positionum ad domum oriri possent. Statutum est talem præsentationem dictarum positionum ad domum habitationis factam non valere, neque aliter partem contra quam præsentatæ fuerunt coarctare ad respondendum. Nisi facta fuerit presente aliqua persona de familia illius contra quam presententur, & assistente etiam tunc simul cum dicto nuncio aliquo Notario conficiente publicum Instrumentum in præsentia duorum testium de dicta præsentatione contra capitula vero teneatur pars contra quam fuerint producta in termino ei per Iusdicentem assignando vt supra opposuisse quicquid voluerit, & posit in eodem termino dicta pars citari ad videndum defferri Iuramentum testibus per alteram partem producendis, & ad dandum interrogatoria, die immediate sequenti hora per Iusdicentem statuenda post lapsum terminũ, qui datus fuerit ad opponendũ cõtra dicta capitula.

De Testibus. *Cap.* 20.

ET si nominati fuerint in dictis causis ciuilibus aliqui testes affines, qui deponere recusarent ratione affinitatis non admittatur eorum excusatio, sed ferant testimonium, & valeat eisq; credatur, nisi fuerint parentes, & filij, vel vxor, & maritus, & fratres simul habitantes, & in cõi viuentes, & quicumq; tẽpore quo in testẽ producetur erit bonæ vocis, & famę recipiatur, & admittatur in testẽ etiam quod antea fuisset male opinionis.

De

De Examinatoribus, & Interrogatoribus Testium. *Cap.* 21.

Item statutum, & ordinatum est, quod in quibuscumque causis ciuilibus coram Prætore, seu Consulibus agitandis si partes id voluerint, & requisiuerint, quod admittantur Examinator, & Interrogator cum interrogatorijs pertinentibus per eos fiendis ad omnem suspicionis, tam Iudicis, quam Notarij scrupulum remouen. qui in testium examinatione simul cum Domino Iusdicente, vel sine eo postquam legitime in manibus Iusdicentis iurauerint interueniant, & eos respectiue examinent, & interrogent omni calumnia, & passione remotis, qui tamen examinator, & interrogator iurabunt in manibus Iusdicentis se tenere subsecreto depositiones testium, & nemini reuellare verbo scripto, vel per aliā personam cum eorum publicatione, & quod examinator non impugnabit interrogatoria pertinentia, & interrogator non formabit, nec formari faciet interrogatoria impertinentia.

De Notario suspecto. *Cap.* 22

Similiter si aliqua partium habuerit Notarium illius causæ suspectum, & ita in manibus Iusdicentis solemniter iurauerit adhibeatur alius Notarius confidens, qui simul cum eo acta & dicta, ac depositiones dictorum testium recipiat, & scribat.

De dillatione danda habenti Instrumenta, vel Testes extra Ciuitatem & Territorium Aquen. *Cap.* 23.

Cæterum si quis allegauerit se habere instrumenta, vel testes extra Ciuitatem, ac Territorium Aquarum, & petierit dillationem ad ea, seu eos producen. sibi dari, & iurauerit in manibus iusdicentis se dillationem non petere animo calumniandi, nec prottellandi litē, nec fatigandi aduersarium expensis, sed quia dictis testibus, & instrumentis indiget ad probationem suæ intentionis, vel exceptionis, & testes prædictos, eorum nomina, & cognomina, necnon & instrumenta, & loca in quibus fuerint apud acta nominauerit, teneatur Iusdicens ei dare dillationem ad producendum dicta instrumenta, & testes suo arbitrio considerata distantia locorum dum tamen dillatio ipsa non excedat triginta dies vltra terminum probatorium, vt supra statutum, & dicta dillatione pendente non currat ipso iure instantia supra limitata, quo ad dicta instrumenta, & testes, sed tantum quo ad testes instrumenta, & alias probationes præsentes liceatq; in dicto termino alteri parti probare, & ostendere de iure

suo

suo quicquid voluerit, & lapsis dictis diebus triginta si pars quæ dillationē prædictam obtinuerit dictos testes, & instrumenta non produxerit, & probauerit se propter aliquod iustum impedimentum non potuisse eos producere, & altera pars requisiuerit causam expediri, teneatur Iusdicens procedere ad vlteriora, & sententiam proferre, & illi reseruare ius producendi testes quotiescumq; aduenerint, & vbi non probetur iustum impedimentum, procedat Iudex si fuerit requisitus ad expeditionem causæ sine prædicta reseruatione, & si altera pars contra quam obtenta fuerit dillatio probauerit dillationem ipsam petitam fuisse per calumniam, condemnetur pars, quæ obtulerit prædictam dillationem in florenis decem communi applican. & in omnibus expensis, damnis, & interesse partis læsæ.

De copia Instrumentorum, & scripturarum in Iudicio exhibitarum iterum danda. Cap. 24.

Statuitur etiam, quod si per aliquam partium in quauis parte litis, petita fuerit, seu petatur editio, & copia Instrumentorū, vel aliarum scripturarum publicarum, vel priuatarum semel in iudicio productarum per aliquam partium, quod ad petitionem, & requisitionem ipsius partis iterum editionem, & copiam requirentis teneatur, & debeat altera pars iterum, & de nouo ipsa instrumenta, & scripturas edere, & producere, & copiam dare, cum anno, mense, & die, & nomine tabellionis scribentis, & subscribentis, ipsa tamen parte requirente prius iurante se nō dolose, nec calumniose hoc petere non obstante productione semel facta.

Quæ exceptiones contra Instrumenta opponi possint. Cap. 25.

Non tamen possit contra aliquod Instrumentum opponi aliqua exceptio nisi falsitatis, aut solutionis, vel remissionis, & pacti de non petendo, seu compensationis per aliud æque instrumentum, aut per confessionem partis, aut per duos testes, quando probaretur amissio Instrumenti, in quo aliqua ex prædictis exceptionibus contineretur, vel nisi esset Instrumentum contra quod opponi posset præscriptio decennalis & prout disponitur in sequenti capitulo.

Quod Instrumenta mutui venditionis Bouum, ac aliorū animaliū Bladi, & aliorū fructuum, & mobilium post Decennium. Cap. 26.

Statutum est, quod omnes habentes instrumenta mutui venditionis bouum, & aliorum animalium grani, vini, & bladi, & aliorum fructuum, & bonorum mobilium debeant ea exhibere, & contenta

in eis

in eis petere infra decennium alias quod dicta instrumenta sint cassa vana, & nullius valoris, & quod aliquis nullo modo ex ipsis agere possit, quin etiam si quis eis vtetur nullatenus audiatur, sed intelligatur ei satisfactum esse a debitore, nisi debitor deinceps confiteretur debitum, vel nisi præscriptio dicti temporis interrupta esset, vel nisi demum creditor haberet detentionem, & possessionem pignoris, valeat autem præsens statutum, & procedat in majoribus vigintiquinque annis, & quando ambæ partes in Ciuitate præsentes essent.

Quod ex pluribus Instrumentis dotalibus primum valeat. *Cap. 27.*

SI vero contigerit in iudicio exhiberi plura Instrumenta dotalia, quæ maritus vxori, vel socer nurui fecerit, aut quorum socer vnũ fecerit, & maritus aliud, primum præualeat, nec ex alijs fieri possit dotis exactio, nisi de reali, & actuali numeratione per Instrumentum, vel per tres homines bonæ opinionis ad minus probetur, pecuniam, vel res contentas in posterioribus Instrumentis datam, vel datas fuisse in dotem, & qui interfuissent dationi, seu numerationi, & si facta fuerit a muliere exactio dotis contentæ in aliquo ex prædictis instrumentis reddat aliud instrumentum, & ita Iudex illud reddi, & deleri faciat, & si mulier ita facere recusauerit non possit ipsa, nec eius hæredes occasione ipsius instrumenti de quo exactio non fuerit facta aliquid petere, & si petierit non audiatur, sitq; ipsum instrumentum cassum, irritum, & nullius valoris.

Quod credatur libris Mercatorum, & Negotiatorum, vsq; ad summam florenorum triginta. *Cap. 28.*

SEd & illud circa probationes statutum est, quia plerumq; Mercatores, artifices, & alij quiuis negotiatores, secuti fidem eorum cum quibus contrahunt propter negationem, & perfidiam malorum debitorum, & difficultatem probationum, cum de omnibus Instrumenta nõ rogent, nec testes adhibeant, sed tantum libros suos conficiant, credita sua amittunt, quod vbi mercator artifex, & quilibet alius negotiator Aquen. semel approbatus fuerit a consilio Aquense pro persona fide digna, & de tali approbatione per scripturam autenticam Notarij Comunis fidem fecerit coram iusdicente in iudicio, stetur, & credatur eius libro cum iuramento, vsq; ad summam florenorum triginta inclusiue, contra quemcumq; & absq; alia vlla probatione, ac si per publicum instrumentum, aut per testes legitime creditum suum probasset, dum tamen creditum ipsum petat intra annos duos.

De Consilio Sapientis. Cap. 29.

INsuper quia plerunque euenit, vt per partes consilium Sapientis postuletur, statutum est quod consilium Sapientis non possit per partes, nec aliquam earum peti super aliquo quouis articulo antequam in causa sit conclusum, nisi allegetur suspectus ex causa, & cum iuramento, vbi vero Prætor non sit suspectus, possit tantum peti super tota causa, infra dies sex. post conclusionem ipsius causæ, & postulato dicto consilio, teneantur partes statim infra dies quinque, dedisse suos confidentes de territorio Illustrissimi Domini Marchionis Montisferrati, & infra reliquum tempus vt supra assignatum quo ad præsentationem processus præsentasse realiter vniuersum processum, & acta cum allegationibus iuris ei qui assumptus fuerit in consultorem, & reportasse eius Consilium illudq; Iusdicenti præsentasse, per dies tres ante finem instantiæ, quo præsentato teneatur iusdicens citata parte ad videndum illud aperiri, & publicari certa die per eum perhemptorie statuenda intra reliquum tempus instantiæ, & hora iuris, illud aperire, & publicare, & sententiam suam cōdemnatoriam, vel absolutoriam protulisse, secundum formam dicti Consilij, in persona sua, & per verbum condemnamus, vel absoluimus, sub pœna superius annotata, possint autem Consules si ipsi iustitiam ministrauerint à se ipsis pro aliqua simplici ordinatione per eos fienda, aut pro aliqua interloquutoria proferenda participare consilium iurisperiti per eos eligendi, qui non sit Aduocatus alicuius ex partibus, vel consilium Prætoris si consuli poterit in quacumq; parte litis, & ante, & post conclusionem causæ firma remanente in reliquis dispositione præsentis statuti, & si contingerit, vt propter suspicionem iusdicentis, supplicetur Illustris. D. Marchioni, qui ei in consultorem deputet aliquem Senatorem suum, & talis Senator ob varia alia negotia, & occupationes non poterit fortasse suum præbere consilium in tempore supra limitato, statutum est, quod donec processus steterit pęnes talem consultorem non currat, nec currere intelligatur ipso iure instantia dictæ causæ, cęterum salarium Consultoris, qui assumptus fuerit, soluatur iuxta taxationem ipsius D. Consultoris à parte quæ Consilium postulauerit, & deinde ei restituatur cum alijs expensis si vicerit per alteram partem.

De Iuramento litis decisiuo. Cap. 30.

SI autem aliquis, siue actor fuerit, siue reus noluerit, quod fiat longus processus ante litem contestatam, vel post requisiuerit causā, litem, quęstionem, & controuersiam motam finiri per iuramentū iusdicens statuat terminum dierum trium, illi cui oblatum fuerit iuramen-

tum ad deliberandum, an vellit subire iuramentum, vel referre, & si lapso dicto termino contumax fuerit, & non iurauerit, seu iurare recusauerit deferratur iuramentum alteri parti illud subire volenti, & procedatur statim ad condemnationem, vel absolutionem respectiue, in fauorem partis iurantis, prout per eam iuratum fuerit, & talis condemnatio habeat executionem paratam, ac si condemnatus sponte confessus esset, nec teneatur Iusdicens aliam formam iuramenti, vel imprecationis admittere, quam ad sancta Dei Euangelia, tactis corporaliter scripturis, nisi aliter ipsi videbitur expediens, secundum personarum qualitatem, teneatur autem pars, quæ obtulerit iuramentum exprimere, super qua re, summa, vel quantitate, & quomodo, & qualiter petat iurari, & talem expressionem traddere in scriptis alteri parti, si per eam fuerit requisita infra dies duos à die oblati iuramenti. Et prædicta locum habeant in personis principalibus, & habentibus scientiam rei, vel facti, de quo tractatur, in facto autem alieno non compellatur quis iurare, vel iuramentum referre, si prius iurauerit in manibus iusdicentis in forma, se tale factum, seu negotium alienum, nescire, vel ignorare.

De solutione datæ, seu pignore pro eo deponendo. *Cap. 31.*

CVm vero in causis, litibus, quæstionibus, & controuersijs suprascriptis, siue ordinariæ erunt, siue delegatæ, vel commissionales, lis contestata fuerit, quia reus in termino ei vt supra assignato non responderit, vel responderit, & petitionem, seu requisitionem actoris negauerit, fiat solutio de data, per vtranq; partem, videlicet dimidia pro qualibet parte, ad rationem de quinq; pro centenario quantitatis, seu extimationis rei petitæ, quæ extimatio fiat iuramento actoris, nisi appareat, quod eam fraudulenter faciat, quo casu fiat per Extimatores malepagarũ, congrua prius sumpta informatione, & secundum talem extimationem fiat solutio de data, cuius medietas sit communis, & altera medietas Iusdicentis, si autem reus petitionem, vel requisitionem actoris confessus fuerit, aut cum eo concordauerit, seu transegerit intra terminum ei datum ad respondendum non fiat aliqua solutio de data, liceat quoque partibus, vel datam ipsam in pecunia statim soluere, vel pignus idoneum, & equiualens penes Dominos Sindicos Aquenses deponere, quod non possit vendi, nec distrahi, nec in solutum capi, nisi demum lata sententia, aut nisi causa per transactionem, aut alio modo terminata fuerit.

De appellatione, & nullitate in causis à florenis vigintiquinque supra. *Cap. 32.*

POssit autem à sententia lata in causis, litibus, quæstionibus, & controuersijs prædictis excedentibus summam viginti quinque floreno-

rum

rum quęlibet partium, aut quælibet alia persona quæ se grauatam senserit appellare, & de nullitate dicere semel tantum tam agendo, quam excipiendo ad Illustrissimum Dominum Marchionem Montisferrati intra decem dies à die dictæ sententiæ latæ, & scientiæ numerandos & teneatur iusdicens tali appell. & de nullitate dicenti apostolos tradere, infra dies sex immediate sequentes à die appellationis, & nullitatis interpositæ, & inde teneatur appellans, & nullam dicens infra quindecim dies à die sibi datorum apostolorum impetrasse iudicem, seu Commissarium causæ appellationis, & nullitatis, coram quo teneatur, & debeat appellans, & nullam dicens petitionem obtulisse infra sex dies numerandos, à die Iudicis Deputati, quæ petitio qualiscumq; sit, dummodo de appellatione appellantis, & nullam dicentis appareat, admittatur, & admissa esse intelligatur ipso iure omni exceptione remota, & prædictus appellans, & nullam dicens teneatur, & debeat in manibus dicti Iudicis deputati iurare, tactis scripturis se in dicta causa non dolo, nec malitia, sed credens iustam fouere causam appellasse, & nullam dixisse, & vlterius satisdare, seu pignora deponere de restituendo alteri parti expensas, damna, & interesse litis prædict r, quæ passa fuerit, & pati contingerit, quæ taxatæ fuerint per Iudicem dictæ causæ, si appellans, & nullam dicens, succubuerit in prædicta causa appellationis, & nullitatis, vel si ipsam appellationem, vel nullitatem non fuerit persequutus vsq; ad finem, alioquin si prædictus appellans, vel nullam dicens prædicta non obseruauerit, & adimpleuerit, intelligatur ipso iure dictæ appellationi, & nullitati renuntiasse, & prima sententia firma maneat, & executioni mandetur, cuius quidem appellationis & nullitatis instantia duret, & durare possit tribus mensibus continuis tantũ & non vltra, numerandis à die petitionis oblatæ in ipsa causa coram Iudice super hoc deputato, qua petitione oblata, & alijs vt præfertur obseruatis currat ipso iure terminus ipsi reo respondendi ipsi petitioni sex dierum immediate sequentium, infra quem terminum, siue reus responderit, siue non, habeatur lis pro contestata, & procedatur in causa postquam currat ipso iure vtriq; parti terminus vnius mensis prox. sequen. probandi, & reproducendi quicquid voluerit in ipsa causa, vel lite, quo termino transacto currat vtriq; parti ipso iure terminus quindecim dierum inde subsequentium reprobandi, & impugnandi quæcumq; producta in primo termino probatorio, & impugnata, & reprobata coadiuuandi, & fortificandi per omne genus probationis, quibus terminis finitis statim omnia producta, & ostensa per vtramq; partẽ, & agitata in ipsa causa, sint ipso iure publicata, & de eis fiat copia vtrique parti, si fuerit requisita, & intelligatur in causa esse conclusum, teneanturq; vlterius ipsæ partes infra alios quindecim dies immediate sequen. vniuersum processum causæ simul cum omnibus

allegationibus iuris realiter presentare, & dimittere subscriptum manu Notarij causæ apud Iudicem dictæ causæ, teneatur Iudex dictæ causæ appellationis, & nullitatis post lapsum dictorũ terminorũ infra reliquũ tẽpus instantiæ suã sententiã diffinitiuã protulisse in prędicta causa pure, & clare.

Quod non liceat secundo appellare. Cap. 33.

POstquam lata fuerit sententia in causa dictæ appellationis, & nullitatis per Iudicem, seu Commissarium super ea deputatum, non liceat parti, quæ semel appellauerit, & nullam dixerit, iterum, & secundo appellare, & nullam dicere agendo, nec excipiendo, sed ipsa sententia prout lata fuerit firma maneat, & executioni mittatur nulla exceptione obstante, quæ habuerit, seu originem traxerit ante ipsam sententiam, alteri vero parti quæ non appellauerit, vel nullam dixerit liceat, & licitum sit semel tantum appellare, & nullam dicere, vt dictum est, in qua appellatione, & nullitate obseruetur, quæ dicta sunt supra.

Quibus casibus prohibita sit appellatio. Cap. 34.

NOn etiam possit, tam in causa principali, quã appellationis, & nullitatis de quibus supra dictum est, aliqua partium appellare, vel de nullitate dicere ante conclusionem causæ, nec post ante sentẽtiam diffinitiuam, & nisi à sententia interloquutoria, quæ talis sit, quod sub ea tota causa principalis, vel maior pars comprehendatur, aut nisi per appellationem à sententia diffinitiua reparari non possit nec similiter appellare, & de nullitate dicere liceat in causa mere possessoria, vel spolij, nec in causa legitimationis personarum, nec ab exequutione cuiusuis iudicati nec in causis à florenis tribus infra inclusiue, nec generaliter in quibuscunque casibus, in quibus per statuta Aquensia prohibetur appellari, & de nullitate dici.

De Ferijs. Cap. 35.

IN predictis autem causis, quæstionibus, & controuersijs, ac in terminis, & dilationibus superius limitatis, statutum est non includi nec includi debere ferias messium, & vindemiarum in vtilitatem hominum introductas nisi fuerit de expressa, vel tacita voluntate partium que ferie videlicet messium incipiant die quinta decima Iunij exclusiue: & finiunt die quintadecima Mensis Iulij proxime sequentis inclusiuè, ferie autem vindemiarum incipiant die quintadecima mensis Septembris exclusiue, & durent vsq; ad quintam decimam mensis Octobris inclusiue similiter statutũ est in premissis, ac in omnibus, & singulis causis, quęstionibus, controuersijs, & litigijs quibuscumq; ferias introductas in honorem Dei penitus obseruari, & honorari debere vz. in ferias Nat. D. N. Iesu Christi,

sti, quæ incipiant in festo Sancti Thomæ Apostoli, continuando vsque ad festum Epiphaniæ Domini inclusiue, & alias ferias Pascales, Passionis, & Resurrectionis Domini Nostri Iesu Christi, quæ incipiant in die ramis palmarum, & continuando duret, vsq; ad octauam paschatis Resurrectionis Domini Nostri Iesu Christi inclusiue. Ita & taliter quod in dictis temporibus aliquibus personis in dictis litigijs, causis, quæstionibus, & controuersijs nulla temporis instantia non computetur.

De modo procedendi contra debitorem absentem. *Cap. 36.*

ET quia quæ hactenus dicta sunt procedunt cum debitor, vel reus est præsens, statutum est, quod cum debitor, vel reus absens fuerit teneatur iusdicens ad instantiam actoris, seu creditoris, in primis monere, & assignare eius parentes, filios, aut fratres, vel vxorem, aut agnatos, seu affines si quos Aquis dimisserit, vel habuerit ad suscipiendum eius defensionem infra tres dies, & nemine comparente, nec eius defensionem suscipiente fiant proclamationes per Nuntium Communis parte dicti iusdicentis in platea Communis, & in vicinia in qua absens habitare consueuerat, quod si aliquis voluerit suscipere defensionem absentis compareat coram iusdicente illam suscepturus in termino dierum quatuor. Et si adhuc nullus comparuerit, nec absentis defensionem susceperit teneatur iusdicens ei dare defensorem vnum ex Nuntijs Communis, qui faciat inuentarium bonorum absentis infra triduum à die qua fuerit datus, defensor procedaturq; contra Nuntium eius defensorem, secundum statuta Ciuitatis non secus, ac si absens adesset, fiat exequutio in bonis absentis, prout facienda erit. Si vero comparuerit aliquis in prædictis terminis, qui vellit absentem defendere, præstita in primis per eum satisdatione de stando, & parendo iuri, procedatur in causa contra eum, fiatq; exequutio in bonis absentis vt supra.

De modo procedendi contra Pupillos, minores, furiosos, & mente captos. *Cap. 37.*

QVisquis autem voluerit mouere litem quæstionem, & controuersiã, contra aliquem pupillum, minorem, furiosum, aut mente captũ, ne talis persona remaneat indefensa, & ius suum pereat, teneatur & debeat prius citari, & moneri facere aliquos ex suis proximioribus, agnatis, uel attinentibus, si qui essent præsentes, & si non, adessent aliquos ex proximioribus amicis, & uicinis eiusdem, & una cum eis, uel saltem eis præsentibus, aut legitime citatis, instare, & requirere corã iusdicente, quod ipsi cõtra quẽ ipsã litẽ mouere uoluerit detur, & decernatur p dictũ iusdicẽtẽ tutor, uel curator idoneus, secundũ cõditionẽ personæ, cui decernẽdus erit generalis, vel specialis ad litẽ prędictã cũ quo possit iudiciũ inchoari, mediari, & finiri, & vbi talis persona nullos agnatos, cognatos, vel affines haberet, quibus tutella, seu cura dari possit, aut haberet, sed illi ab onere

 tutellæ,

tutellæ, & curæ iustis, & à iure approbatis causis se excusarent, nec vllus alius vellet tutellam, & curam suscipere, teneatur instare iusdicentem, vt ei de tutore, & curatore prouideat saltem ad illam litem, vel causam tantum de vno ex nuntijs Communis, qui non teneatur aliquod facere inuentarium, nec satis dare. Debeat autem iusdicens super hoc aditus, & teneatur intra dies octo numerandos a die qua fuerit requisitus de tutore, vel curatore prouidisse vt supra sub pęna florenorum trium Communi applican. ad quam tutellam, seu curam suscipiendam, possit dictus iusdicens per iuris remedia compelli illos agnatos, cognatos, vel affines prout sibi videbitur.

De dando Aduocato non habenti. *Cap. 38.*

TENEATVR quoque iusdicens dare aduocatum cuicunque non habēti infra dies sex à die quo requisitus fuerit, & ei debitū honorarium suo arbitrio taxandum solui facere, & Aduocatus qui recusauerit tale patrocinium assumere, incurrat pęnam florenorum decem Communi applican. nisi fuerit agnatus, vel cognatus eius contra quem patrocinari deberet vsque ad quartum gradum inclusiue, vel nisi aliquam aliam causam haberet legitimam recusandi, qui suo iuramento in manibus iusdicentis, aut alicuius Notarij ab ipso deputati probaretur.

De Exequutione condemnationum, & sententiarum, *Cap. 39.*

CÆterum quia hactenus de condemnationibus, & sententijs dictum est, superest vt de earum exequutionibus statuatur; quare statutum est, quod vbi quis cōdemnatus fuerit in iudicio ob suam sponteneam confessionem fieri possit contra eum exequutio statim, post lapsū decem dierum ei datorum ad soluendū; similiter si citatus per tres terminos fuerit condemnatus propter contumaciam, possit condemnatio ipsa exequutioni mitti, statim post lapsum dierum octo à die inthimationis numerandorum, prout dictum est supra in capitulo de condemnando debito re contumace, dum tamen exequutio prędicta intra annos tres petatur, alioquin condemnatio siuè in spontę confessum, siuè in contumacem in iudicio facta fuerit, sit ipso iure nulla, & habeatur ac si facta non esset, ne quandoq; contingat eos qui obtinuerunt condemnationem, aut heredes eorum his exigere solutionem à debitoribus, qui sæpe condemnationes, aut ex obliuione, aut pro euitatione expensarum, aut alia ex causa deleri non fecerint, vbi autem agatur de mandan exequutionē aliqua sententia arbitrali, seu arbitramentali, vel iudiciali, à qua prohibita sit appellatio, & nullitas, fiat exequutio, si requisita fuerit post dies tres à die la-

ræ ſententiæ, vbi vero agatur de exequutione ſententiæ à qua appellari, & de nullitate dici poſſit, concedatur exequutio poſt dies quatuor, poſtquam lapſus fuerit terminus datus ad appellandum, & de nullitate dicendum quandocumq; fuerit requiſita intra tres menſes, poſt dictos dies quatuor, aliter ſi petatur exequutio lapſis dictis tribus menſibus vt ſupra non concedatur, niſi ſeruata forma capituli, ibi immediate ſequentis, & niſi is qui obtinuerit ſententiam præſentet iuſdicenti ſententiam ipſam: quam præſentare teneatur in forma publica non vitiatam, non cancellatam, nec in aliquam ſui parte ſuſpectam, tunc iuſdicens teneatur, & debeat præcipere in ſcriptis parti contra quam exequutio petitur, quod præceptum dari, & tranſmitti debeat dictæ parti, perſonaliter, vel ad domum eius ſolitæ habitationis expenſis partis exequutionem requirentis, quatenus infra quindecim dies continuos numerandos à die præcepti facti, & præſentati debeat oppoſuiſſe, probaſſe, & contradixiſſe, totum, & quicquid voluerit, quia dicta ſententia non poſsit, nec debeat contra ipſum, ſeu eius bona exequutioni mandari, quo termino elapſo ſi nihil oppoſitum, aut productum, ſeu probatum fuerit teneatur, & debeat ipſe iuſdicens infra quinque dies prox. ſequentes dictam ſententiam exequutioni mandare.

De Exequutione Inſtrumentorum. *Cap. 40.*

Cum productum fuerit Inſtrumentum alicuius debiti iurati, vel teſtamenti, legati, ſeu fideicommiſſi non abolitum, nec in aliqua ſui parte ſuſpectum, teneatur iuſdicens ad inſtantiam partis producentis in ſcriptis, & cum tranſmiſsione copiæ dicti Inſtrumenti parti contra quã productum fuerit, vt ille ſoluiſſe, & ſatisfeciſſe debeat in termino dierum octo. & ſi dicta pars contra quam productum fuerit Inſtrumentum, erit cõtumax, & aliquam exceptionem non oppoſuerit ex his quæ contra Inſtrumentum opponi poſſint, & de quibus ſupra dictum eſt fiat aliud præceptũ de ſoluendo intra alios dies octo cum cominatione exequutionis, & ſi adhuc nihil oppoſuerit, ſed in contumatia perſeuerauerit, concedat iusdicẽs ſtatim contra eum exequutionem ſi altera pars requiſiuerit, quod ſi pars conuenta aliquam ex prædictis exceptionibus in aliquo ex dictis terminis oppoſuerit, teneatur eam probare infra decem dies ſi cauſa fuerit a florenis decem infra, & a florenis decem excluſiue ſupra, vſq; in vigintiquinq; incluſiue, teneatur eam probare infra dies quindecim, & infra dies viginti a die exceptionis oppoſitæ, ſi fuerit a florenis vigintiquinq; ſupra & lapſis dictis temporibus reſpectiue nulliſq; factis probationibus fiat contra conuentum exequutio pro principali ſumma, & omnibus expenſis quas pars Actrix iurauerit ſolemniter in manibus iuſdicentis ſe feciſſe.

Quomodo sit facienda Exequutio. *Cap. 41.*

FIat autem exequutio primum, in re petita si extiterit, deinde si ea condemnationem extinguere non poterit, fiat pro residuo in bonis, & rebus mobilibus si fuerit debitum à summa florenorum vigintiquinq; infra, exceptis lectis, vestibus quotidianis, grano, vino, & alijs victualibus, ac bobus, & alijs animalibus aptis ad agriculturam, & instrumentis rusticis, & armis nisi alia mobilia non essent, quo casu habita de hoc relatione Collateralis, & Nuntij Communis, quibus stetur fieri possit exequutio, etiam in bonis prædictis, ita tamen quod prius capiantur minus necessaria, secundum qualitatem temporum, si autem debitum fuerit à florenis vigintiquinque supra exclusiue, fiat exequutio in bonis immobilibus, quando non haberet mobilia sufficientia ad extinctionem debiti, & vbi non sufficiant fieri possit contra debitores liquidos, illius cõtra quem concessa erit exequutio. Et dicti debitores facta fide de tali exequutione sint ipso iure liberati, pro eo quod soluerint, ac si principali suo creditori soluissent, quod si nec in bonis mobilibus nec immobilibus, nec in nominibus debitorum exequutio fieri poterit, incarceretur debitor, nec inde extrahatur, nisi satisfecerit, aut bonis cesserit, qua cessione facta sit, & efficiatur ipso iure infamis.

De subhastatione, & deliberatione Bonorum mobilium, vel immobilium, & eorum recuperatione. *Cap. 42.*

BOna autem mobilia pignorata pro Clauario, aut aliquo Daciterio penes eum custodiantur, pignora vero pro aliquo alio particulari retineantur, sub custodia penes creditorem, & vtroq; casu describantur, & annotentur per Notarium Communis, nec vendi, nec deliberari possint, nisi lapsis diebus tribus, à die exequutionis, & inthimationis factæ debitori ad ea reddimendum, exceptis pignoribus talearum, & onerũ, quæ statim subhastari, & deliberari possint, Subhastenturq; in platea archiuolti per nuntium Communis per dies tres continuos, alta, & intelligibili voce, & semel ad minus in quolibet die per tertiam partem horæ, & plus offerenti deliberentur, nec deliberari possint creditori, nec similiter forensi, nisi in casu, quod nullus reperiretur emptor, quo casu possit creditor illa insolutum capere, pro eo, quod deliberata fuerint, quam sit debitum, restituatur debitori statim quicquid superfuerit, facta vero deliberatione, & debitori inthimata, per dictum nuntium, liceat eidem debitori recuperare ab emptore dicta bona mobilia pignorata, & vt supra vendita in termino dierum decem immediate post dictam inthimationem sequentiũ

solutis

solutis omnibus expensis. Bona autem immobilia nisi fuerint, & sint minoris, quæ per dies viginti subhastanda sunt, pariter subhastentur per tres dies continuos vtsupra, & tertia deliberentur, & fiat statim restitutio debitori eius quo pluris vendita fuerint, liceatq; ipsi creditori ea à quocumq; reddimere eodem pretio, intra mensem à die deliberationis sibi inthimatæ, solutis expensis, & remanentibus fructibus apud emptorem si eos iam collegerit, si vero erunt pendentes, quod emptor habeat partem fructuum dominicalium pro rata temporis, dimissa parte colonica ei qui fuerit colonus, siue debitor, siue creditor, siue alius fuerit.

Quomodo bona Creditori insolutum dari possint. Cap. 43.

POssit quoq; debitor si voluerit euitare exequutionem, dare insolutum creditori, tantum de bonis suis ad electionem ipsius creditoris, & ad extimationem extimatorum malepagarum, dum tamen det valorem quatuor librarum pro tribus, excepta dote. quam mulier, aut alius pro ea repeteret à marito, vel ab eius hæredibus, seu ab altero eorum aut ab alio pro eis pro qua nihil plus dari potest quàm fuerit ipsa dos, teneatur insuper debitor facere creditori instrumenta deffensionis talis in solutum dationis sub pena dupli, & cum obligatione omnium bonorum suorum, prout prædicti Extimatores dixerint, habeatq; creditor ingressum & regressum terræ in solutum datæ per terram debitoris contiguam, nisi aliunde illum habuerit. Possit quoque debitor dicta bona in solutum data recuperare eodem pretio intra tres annos à dicta die dictæ in solutum dationis, solutis expensis, & melioramentis, habitaq; ratione fructuum, vt supra. Excipiantur tamen bona in solutum data pro taleis, & quibuscunque oneribus, que tantum redimi possint intra tres menses à die quo in solutum data fuerint, & intimatione vt supra facta.

Quando Ciuis, aut habitans Aquis pro debito ciuili arrestari, vel detineri possit. Cap. 44.

AD arrestationem vero, seu detentionem personæ, quæ sit Ciuis Aquarum, aut habitans perueniri non possit in causis ciuilibus ante condemnationem, vel post nisi vt infra; nam si quidem posidebit bona immobilia in territorio dicte Ciuitatis non possit detineri, vel incarcerari ad instantiam cuiusuis personæ, nisi esset debitor Communitatis quouis modo, tunc enim constito legitimè de debito possit contra eum fieri realis, vel personalis exequutio, prout magis expedierit reiecta quacunque fideiussione, & exceptione. Si autem bona immobilia non

possederit

possederit in territorio Aquarum, & debitum negauerit, aut de eo non cõfiteterit; possit dummodo instans iuret se esse creditorem personaliter detineri quousq; fideiusserit de stando, & parendo iuri, & iudicatum soluendo; quod si confessus fuerit debitum, vel de eo legitime constiterit, & bona immobilia non possidebit vt supra, possit quoque detineri donec creditori satisfecerit, seu idoneæ fideiusserit de soluendo intra tempus, quod datur condemnatis ex forma statutorum Aquensium.

De Debitore forensi detinendo, seu arrestando. Cap. 45.

DEbitorem vero forensem, & Aquis non habitantem, nec bona immobilia super territorio Aquarum possidentem teneatur iusdicẽs ad instantiam cuiuscumq; Ciuis Aquarum, aut ibi habitantis asserentis se esse eius creditorem ex quocumq; contractu, vel causa alibi etiam, & in aliena iurisdictione celebrato, & ex quocumque iure siue principali, siue cesso, vel successionis quocumq; tempore etiam feriato, & in die mercati, si creditor iurauerit eum habere suspectum detineri, & arrestari facere eiusq; res, & bona sequestrari, nec relaxari facere, donec integré creditori satisfecerit, aut idoneæ fideiusserit de stando, & parendo iuri, & iudicatum soluendo, nec possit talis debitor forensis prætextu cuiuscumq; impotentiæ iuratoriam cautionem præstare, vbi autem res, vel bona talis debitoris essent sequestrata, quod ex prætio eorum, quando ad publicum incantum ea vendere contingeret, possit satisfieri creditori pro principali, & expensis, electo prius per eum domicilio in Ciuitate, in forma ad quod citari valeat, vbi fuerit opus relaxari possit, & prædicta quoq; seruentur in filio debitoris forensis, & in fratre eiusdem debitoris, si debitum factum fuerit eo tempore, quo simul, & pro indiuiso cohabitabant.

Quod Creditor facta sibi solutione reddat debitori cartam, vel condemnationem, aut ei Instrumentum faciat. Cap. 46.

CReditor facta sibi solutione à debitore statim, & sine vlla intermissione temporis reddat debitori cartam condemnationem, aut instrumentum solutionis, quantitatis solutæ faciat, alias non possit debitorem constringere ad soluendum quantitatem debitam petitam, & si iam soluerit incurrat creditor bannum solidorum triginta, toties, quoties contrafecerit, & debitor de prædictis quærimoniam iusdicenti porrexerit.

De

De Exequutione sententiarum, vel condemnationum in causis criminalibus, Cap. 47.

CIrca vero exequutionem sententiarum, vel condemnationum in causis criminalibus. & pęnalibus, si pęna fuerit pecuniaria locum habeant statuta prox. pręcedentia; si autem fuerit pęna corporalis, & delictum perpetratum fuerit in Ciuitate, vel territorio Aquarum puniatur delinquens in dicta Ciuitate, seu eius territorio, nec possit de eo iustitiam alibi fieri, quam in Ciuitate Aquarum, vt, in quo loco, quis deliquit, ibi debitas luat pęnas, vt cęteris sit exemplo.

De mercede, & salario Notariorum. Cap. 48.

REliquum est vt de mercede, & salario Notariorum, de qua nullibi statutum est ordinetur.

Notarij igitur Communis, & tribunalis iusdicentis habeant pro suo salario sextam partem bannorum campestrium.

Item pro quacunque petitione, interpellatione, ac protestatione per eos scripta in libro actorum, & oretenus facta solidos sex. Et pro quacunque responsione, & replicatione oretenus facta, & vt supra solidos tres. Et pro quacunque productione libelli, vel alterius cuiusuis scripturę solidos sex. Et pro litteris Prętoris cuiuscunque generis solidos nouem Et pro litteris subsidialibus similiter solidos nouem; & pro pręcepto in scriptis ad audiendum petitiones solidos sex: & pro receptione cuiuscunque testis à summa florenorum viginti quinque infra solidos nouem, & inde supra in causis ciuilibus, vel criminalibus ad instantiam rei. Et pro copia alicuius libelli, vel alterius scripturę solidos sex, & pro copia processus ciuilis, seu criminalis pro singula carta, que tamen in qualibet facie contineat lineas viginti, & quęlibet linea sit octo dictionum ad minus solidos sex: & pro quacunque alia relatione nuntij de pręsentatione alicuius scripturę, vel pręcepti, seu intimationis, vel interpellationis. aut protestationis per ipsum Notarium rogatis solidos tres: & pro quacunque impositione pręcepti Nuncio facta per iusdicentem in libro actorum, solidos tres: & pro quacunque crida ad instantiam alicuius particularis facta, & scripta vt supra solidos sex: & pro quacunque condemnatione pœnarum Communitati spectanti solidum vnum pro libra, pro quacunque vero condemnatione ciuili, siue in confessum, siue in contumacem, solidos nouem in totum: & pro receptione, & extractione alicuius sententię ciuilis, & autenticatione à summa florenorum viginti quinque infra solidos triginta: & inde supra vsque ad florenos centum

florenos duos, & inde supra quantacunq; fuerit summa florenum vnum pro quolibet centenario, & pro receptione, extractione, & autenticatione alicuius sententiæ extimatorum malepagarum denarios sex imperialium pro libra si fuerit à florenis centum infra ab inde autem supra habeat florenos quatuor in totum, & pro fideiussione præstita ab aliquo solidos nouem, & pro instrumento alicuius protestationis, vel interpellationis in scriptis fideiussionis, tutellæ, vel curæ, & actorie inuentarij aprehensionis possessionis, aditionis, hereditatis, receptionis alicuius in ciuem adoptionis, seu arrogationis, & emancipationis, que nullam in se contineat donationem compromissi, ac renunciationis litis, & instantiæ cuiuscunque sit importantiæ solidos sex pro rogitu, & pro extractione in autentica forma solidos triginta sex, pro instrumento vero cuiuslibet mandati cuiusuis qualitatis, & importantie solidos sex pro rogitu: Et pro extractione, & autenticatione solidos triginta sex. Pro cæteris autem Instrumentis quorumcumq; contractuum, vel distractuum, tam Notarij Communis, quam alij percipiant mercedem; vt infra videlicet pro vno quoque centenario, vsque ad quinque centum, solidos quadraginta quinque. Et inde supra solidos triginta pro quolibet centenario florenorum, pro Instrumentis autem vltimarum voluntatum in autentica forma, habeant a florenis quinquecentum infra florenos quinque, & inde supra, vsq; in mille florenos, Decem, & a mille supra quantacumq; fuerit summa florenos viginti à ciuibus tantum intelligendo semper centenarium, quando excedit summam quinquaginta. Et prædicta intelligantur in Instrumentis, in quibus non interponitur auctoritas, & Decretum Iudicis, vbi autem interponatur Iudicis decretum, percipiant solidos nouem, vltra quantitatem prædictam pro quolibet instrumento autentico cuiuscumq; contractus, siue distractus, vel vltimæ voluntatis. Pro instrumentis vero pensionum, & fictuum in autentica forma, fiat solutio vt supra habita tamen ratione ad pensionem, & fictus, & non ad valorem rei pro qua præstatur: Excipiantur item instrumenta quitationum, & liberationum pro quibus possint tantum percipere à centum florenis infra solidos quindecim: Et inde supra sit quæuis summa solidos quinquaginta quatuor si fuerit extracta, & autenticata. Pro rogitu vero cuiuscumq; instrumenti ex supra narratis solidos sex. Ad plus cæterum pro instrumentis, testamentis, & alijs extrahendis ex protocolis, seu imbreuiaturis, & folliaceijs Notariorum Defunctorum, vel infirmorũ habeant salarium vt supra taxatum cum eis quorum fuerint.

Quod Notarius in infirmitate grauatus teneatur alicui Notario sua Protocolla, seu Imbreuiaturas dimittere. Cap. 49.

POssit autem, & teneatur quilibet Notarius infirmitate affectus, seu grauatus, sua protocolla, imbreuiaturas, & filcias instrumentorũ, & actorum

sum quorumcunque iudicare, & dimittere alicui Notario, cui voluerit, qui teneatur iurare in manibus iusdicentis, quod in dictis protocollis, imbreuiaturis, & folliaceis nihil canzellabit, nec addet, nec diminuet in fraudem alicuius, nec aliquo ingenio, & quod instrumenta que non fuerint completa, diligenter inquiret, & consignabit cuicunque ad quem pertinebunt mediante congrua solutione, valeat vero dictus Notarius dicta instrumenta complere cum auctoritate iusdicentis prout erunt complenda, eaq; omnia precedente licentia, & auctoritate iusdicentis exemplare, & autenticare, & eadem fides eisdem prestetur, & adhibeatur, ac si per eundemmet notarium qui ea rogatus receperit exemplata, & autenticata essent.

De Instrumentis, & protocollis Notarij mortui, & eorum administratione. Cap. 50.

ET si aliquis Notarius improuisa morte preuentus non disponeret de suis protocollis vt supra dictum est, & non reliquerit filium notarium, qui ea administrare possit iuxta formam traditam vt sup. teneatur iusdicens ad instantiam dominorum Sindicorum Communis dicta protocolla alicui probate vitæ notario administrationem, & secundum voluntatem hæredis dicti Notarij defuncti committere tractanda, leuanda, exemplanda prout opus fuerit, & habeat hæres dimidiam mercedis, Notariusq; alteram; teneatur omnia instrumenta Notarij defuncti describere, & inuentarium de eis conficere, sub vinculo iuramenti prædicti, & copiam dicti inuentarij tradere dicto hæredi.

Quod Notarius forensis non possit instrumenta, & acta recipere in Ciuitate, & Territorio Aquarum: Cap. 51.

ET omnia, & singula quæ dicta sunt supra de notarijs locum habeant in notarijs Ciuibus Aquen. aut qui Aquis habitauerit ad minus per annos triginta. Nullus autem Notarius forensis, & qui per dictum tempus Aquis non habitauerit, possit aliqua instrumenta, nec acta recipere in Ciuitate, vel Territorio Aquarum, & si receperit, sint ipso iure nulla, & inualida, & nullam fidem mereantur in iudicio, vel extra.

FINIS SECVNDI LIBRI.

STATVTORVM

STATVTORVM
CIVITATIS AQVARVM.
LIBER TERTIVS.
Qui delicta, & damna data complectitur.

PROEMIVM.

SVperiori libro dictum est de ordinibus Iudicij ciuilis, & criminalis, & pertinentibus ad causas maxime ciuiles. & de exequutionibus. Nunc quę sequũtur statuta ad delicta, & damna data pertinent.

De Festiuitatibus Celebrandis. Cap. 1.

ET quia quæ ad diuinum cultum spectant, sunt præponenda; statutũ est in primis quod omnes Ciues, & Aquis habitantes teneantur celebrare Festiuitates infrascriptas, scilicet Conceptionis, Natiuitatis, Annunciationis, Purificationis, & Assumptionis Beatæ MARIAE Virginis, Duodecim Apostolorum, Laurentij Beatorum, & Guidonis, Sanctorum Ioseph, Rochi, & Sebastiani, diesq; Dominicos, & omnia festa solemnia, quę iubet, aut etiam iubebit Sancta Mater Ecclesia Romana debere celebrari, & qui in aliqua ex prędictis festiuitatibus laborauerit in Ciuitate, vel extra cum bestijs, vel sine, incurrat pœnam solidorum & qui die dominico, vel eo maiore incurrat pęnam florenorum decem pro quolibet, & qualibet vice nisi fuerit tempus messium, & vendemiarum, ac fęnorum secandorum, moraq; periculum afferret, vel nisi iusdicens ex aliqua alia causa neccessaria licentiam alicui daret laborandi, possint quoque impune vendi medicinę, & aromata, carnes, & panis, herbeq; & fructibus omnes pro victu hominis neccessarij. Contrafacientes vero quilibet possit accusare, & eius iuramento credatur.

De Hæreticis, Cap. 2.

HÆretici cuiuscunque sectę sint infames, expellanturq; de Ciuitate, nec recipiantur quousq; ad gremium sanctæ Matris Ecclesie redierint, & absoluti fuerint, & iusdicens teneatur omnino seruare,

&

& seruari facere omnes Constitutiones, & Sanctiones Ciuiles, & Canonicas, tam factas, quam faciendas contra eos, & eorũ fautores, & receptatores, & præstare auxilium, & fauorem quibuscumque Inquisitoribus hæreticæ prauitatis, vna cum Sindicis, ac Communitate Aquen. quoties ab illis, aut ab aliquo illorum fuerit requisitus.

De Vsurarijs. Cap. 3.

VSurarij quoque Christiani, vel qui habiti, & reputati fuerint vsurarij vltra restitutionem vsurarum, incurrãt pęnam vnius ducati pro qualibet vice, qua ad vsuram dederint, & eam extorserint, & insuper nullo modo in iudicio audiantur ex quauis causa ciuili, & ex quocumque contractu, ipsi verò conueniri possint quocumq; & ex quacumque causa.

De Blasfematoribus. Cap. 4.

QVicumque autem blasfemauerit si quidem dixerit ad sanguinem, vel ad Corpus Dei Christi Mariæ Virginis, seu alicuius sancti, aut sanctæ, cadat in pęna floreni vnius pro qualibet vice, & si dixerit ad despectum Dei, vel Christi, vel nego Deum Christum, seu Virginem Mariam, vel aliquem ex Sanctis, incurrat pænam florenorum duorum pro qualibet vice, quæ pænæ duplicentur si blasfemauerit in Ecclesia, vel in platea, seu in pallacio Communis, dum ius redditur, vel in Consilio, aut alibi coram Iusdicente, & credatur accusatori cum iuramento, & si quis pęnas prędictas soluere non poterit stet legatus ad berlinam per horã vnã quando celebrantur diuina officia, excipiantur tamen furiosi, & mente capti, qui satis furore ipso puniuntur. Blasfemare item intelligatur quicumq; in ludo, seu extra ludum irato animo, vel non irato, dixerit aliquid ex prædictis, aut alio quouis modo, in opprobrium omnipotentis Dei Iesu Christi Domini Nostri, Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum, & Sanctarum, aut alicuius eorum maledicendo, detestando, imprecando, detrahendo, & obiurgando, quæ pænæ applicentur ad illuminandum sacratissimum Corpus D.N.I. Christi, in Ecclesia Cathedrali Aquen.

Quod flectatur genu, quando Hostia leuatur. Cap. 5.

QVI genu humi non flexerit, & irreuerenter steterit, quando eleuatur Sanctissimum Corpus Domini Nostri Iesu Christi, incidat in pęnam vnius Ducati, & stetur iuramento cuiuslibet, qui eum accusauerit, seu denuntiauerit, & censeatur applican. vt supra.

De eo qui in Ecclesia deambulauerit. Cap. 6.

QVilquis item deambulauerit in aliqua Ecclesia tempore quo ibi diuina fiunt officia, soluat pro pena florenum vnum pro qualibet vice. & quilibet possit eum accusare, vel denunciare, & eius iuramento credatur, & secretus retineatur applican. vt supra.

Quod viri non stent in Ecclesia simul cum mulieribus. Cap. 7.

VIri si cum mulieribus simul steterint in Ecclesia, & præsertim in confessione Ecclesiæ maioris videlicet inter duo hostia dictæ confessionis vsq; ad lapides lampadarum Sacramenti, vbi mulieres stare solent quando Missa super altari magno celebratur, & diuina officia dicuntur, sciant vnicuiq; pænam floreni vnius constitutam esse, iusdicentemq; cuicunq; qui aliquem accusauerit cum iuramento fidem præstaturum pro dimidia vt supra, & pro alia iusdicenti applican.

De pæna ludentium, vel obstrepentium circa Ecclesias tempore diuinorum Officiorum. Cap. 8.

SImiliter quicunq; luserit ad pilam paruam, vel magnam, aut ad alium quemuis ludum, aut obstreperit circa Ecclesias tempore celebrationis diuinorum officiorum det pro banno florenum vnum pro qualibet vice, & credatur iuramento accusantis, vel denuntiantis, qui teneatur secretus vt supra, & duplicetur pæna si iussus parte iusdicentis, aut alicuius de consilio statim à ludendo, vel obstrependo desistere noluerit, quæ pæna applicetur vt supra pro dimidia iusdicenti, & pro altera dimidia ad illuminan. sacratissimum corpus Christi applicetur.

De ascendente tectum Ecclesiarum, aut Pallacij Communis, vel Domui alicuius priuati. Cap. 9

SI quis autem ascenderit tectum Ecclesiæ Cathedralis, siuè alterius Ecclesiæ in territorio Aquarum existentis sine licentia Rectoris illius Ecclesiæ, vel tectum Pallacij Communis sine licentia iusdicentis, aut Sindicorum, uel domus alicuius priuati sine eius licentia, causa capiendi columbos, passeres, aut alias aues, seu quauis alia ex causa soluat pro pæna florenos duos pro qualibet uice, & ulterius si quod damnum dederit, uel fecerit, teneatur statim illud emendare, & credatur cuilibet cum iuramento qui contrafacientem accusauerit, uel denuntiauerit, quæ pæna sit pro tertia parte Communis, & pro tertia Prætoris, & pro tertia accusatoris.

De

De immunditijs non faciendis, nec ponendis in Cimiterijs Ecclesiarum. Cap. 10.

RVrsus qui portauerit, seu fecerit aliquas immunditias in Cimiterijs Ecclesiarum intus Ciuitatem existentium, seu carnes ibi excoriauerit, aut coramina vnxerit, vel ad solem posuerit, aut quiduis aliud male olens ibidem fecerit, teneatur statim vt iussus fuerit parte iusdicentis illud auferre, aut abduci facere, & incurrat pro qualibet vice pęnam floreni vnius, steturq; iuramento accusatoris, vel denuntiatoris applicanda vt supra.

De muris, & portis Ciuitatis. Cap. 11.

MVri, & portæ Ciuitatis quæ & ipse res sanctę sunt, inuiolabiliter custodiantur, & qui muros transcenderit de die, soluat pro banno florenos quinq; qualibet vice, & qui eos transcenderit de nocte, seu dum porte fueriut clause infra, vel supra valuas earum exierit, incurrat pęnam dupli, & qui propè muros, uel supra edificauerit intus Ciuitatem per trabucum unum cum dimidio det pro banno ducatos decem, & edificium illico destruatur, extra uerò Ciuitatem liceat unicuiq; super solo suo edificare sine pęna dum tamen non sit damnosum Ciuitati, & qui lapides, aut lateres męniurum ammouerit, aut aliquod proiecerit, incurrat pęnam unius ducati, & damnum emendet; & quicunq; pannos, uel aliquod aliud extenderit super eos sit in banno floreni unius pro qualibet uice, & damnum emendet, credaturq; iuramento cuiuslibet qui aliquem in prædictis contrafecisse accusauerit, uel denuntiauerit, & nisi uicini męniarum sciant dicere quis damnum in eis teneantur ipsi de suo demolitu refficere.

De non mingendo, vel ventrem deponendo. Cap. 12.

ATque accusari possit per quemcunq; & eius iuramento credatur, quisquis minxerit, seu uentrem exonerauerit pęnes muros Ecclesiarum, aut Pallacij Communis, uel in balneis, aut in platea balneorum, seu in platea archiuolti, uel in uijs publicis magistratibus, aut pęnes hostium, uel portam alicuius priuati, & incidat in pęnam solidorum decem pro qualibet uice.

Ne quid in fossato Ciuitatis fiat. Cap. 13.

NEmo paleam, nec quiduis aliud in fossatum Ciuitatis proijciat, nec hortos, nec aliquod impedimentum sine licentia Sindicorum teneatur, & qui contrafecerit soluat pro pæna florenum unum pro qualibet uice, & à quocunque cum eius iuramento accusari possit.

De vijs publicis intus Ciuitatem mundis, & expeditis tenendis. Cap. 14.

Teneatur quoq; vnusquisque semel qualibet hebdomada mundare, seu mundari, vel scopari facere vias publicas Ciuitatis, & burgorum ante domum suam sub pœna floreni vnius, & eandem subeat pœnam quicunque in prædictis vijs publicis, & in platea archiuolti, & balneorum aquam, feces, vel aliquas alias turpitudines, & immunditias, & maximè fœtentes fecerit, seu proiecerit, aut paleas seu quiduis aliud causa faciendi fimum ibi posuerit, aut lapides, ligna, aut quoduis aliud impedimentum ibidem tenuerit, nisi causa ædificandi, vel alia necessaria, cum licentia Sindicorum, possit tamen quilibet tenere, & coaceruare in dictis vijs fimum, seu letamen à calendis Octobris vsque ad calendas Martij sine pœna nisi in via qua recta itur ad portam Ecclesiæ Maioris, & in via quæ tendit à porta noua vsque ad portam burginoui, & ab eadem via vsque ad Ecclesiam Sancti Francisci, & in via qua itur à porta Cumpe ad pallacium Communis, & qui intra præscriptum tempus fimum coaceruauerit, teneatur finito dicto tempore eum auferre seu exportari, vel abduci facere infra tempus ei per iusdicentẽ statuendum per publicũ proclama & quilibet possit cõtrafacientes accusare cũ suo iuramento, & ei credatur.

De non proijciendo aliquid in vias publicas ex fenestris, vel alia parte domorum. Cap. 15.

Nemo item audeat, uel præsumat proicere in uias publicas aquam, urinam, puluerem, uel aliquas feces de die, uel de nocte à fenestris uel hostijs, aut aliqua alia parte domorum, quam per lauella seu acqueductus, & qui cõtra fecerit, possit à quocumq; cum iuramento accusari, & incurrat pœnam floreni unius, & si cui damnum dederit, uel fecerit illud ei resarciat.

Quod Lauella, & Aqueductus fiant sub terram. cap. 16.

Fiant autem lauella, & acqueductus in uijs publicis in muris domorum subtus terram, & qui ea habuerit super terram debeat eã leuasse in termino per iusdicentem perfiniendo, alioquin incidat in pœnam florenorum quinque toties quoties non paruerit, & à quocunq; accusari possit cum iuramento.

De claudendis Claochis, vel Latrinis. Cap. 17.

Itane quoque seu cloache in uias publicas decurrentes, itemq; latrine aperte, & fœtorem in publicum immittentes, nisi clausæ fuerint per eum, cuius erunt lapidibus, seu lateribus

cum

cum calce vel cęmento itaque murus ritanarum sit altitudinis octo pedum alipran. Et plus, vel minus iuxta altitudinem, vel depressionē domus, & latrine sint admodum obturate quod amplius trāseuntibus nō pateant, nec spurcitia in publico cernatur, & Dominus cloacæ, vel latrinæ qui contrafecerit, soluat pro pęna ducatum vnum pro qualibet vice, qua de prædictis querela iusdicenti porrecta fuerit, & liceat cuicunq; cum suo iuramento contrafacientes accusare, seu denunciare, & si plures fuerint Domini dictarum ritanarum, quilibet ipsorum sentiat pęnam prædictam, nisi qui aliquid turpe in eis non fecerit, vel immisserit, teneatur item iusdicens ex officio suo de prædictis inquirere, & à contrafacientibus pęnā auferre, quoties fuerit requisitus, & proclamari facere singulis sex mensibus contra habentes ritanas, seu cloacas, & latrinas in vias publicas labentes; aut apertas teneantur eas claudere, & obturare intra terminum per eum statuendum.

De Fontibus, & Putheis non destruendis, nec conspurcandis. Cap. 18.

SI quis fontes, aut puteos destruxerit, seu deuastauerit, eosue conspurcauerit, aut quid in eis seu pęnes eos turpe, aut fętens fecerit, seu proiecerit, vel herbas, aut pannos ibi lauauerit, sit in banno floreni vnius, & insuper teneatur eos mundare, vel euacuare, seu reficere, & adaptare respectiuè, & prout erit quod commisserit. & si ignorabitur qui prædicta fecerit, teneatur iusdicens eos euacuari, & adaptari facere per vicinos, & vtentes illis, & aqua eorum ipsorum expensis infra mensem à die quo de prædictis ei denuntiatum fuerit, liceat autem cuicunq; cum iuramento contrafacientes accusare, & ei fides adhibeatur.

De non inaquando linum, vel canepam, aut coramina, seu pelles pęnes Ciuitatem. cap. 19.

ITem qui posuerit linum, vel canepam, aut coramina, seu pelles ad inaquandum in medrico videlicet à via qua itur ad fontem de caualli, citra versus Ciuitatem; supra vero Ciuitatem versus Alicem in quantum protendunt fines Ciuitatis, cadat in pęnam florenorum quinque pro qualibet vice, & à quocunque accusari possit cum iuramento.

Quod bestie mortue sepelliantur. cap. 20.

SI cui mortua fuerit aliqua bestia, siue eam excuriauerit siue non, teneatur illam statim sepellire vltra ictum balistæ extra Ciuitatem ne fętorem reddat, & si contrafecerit, vel eam in vijs publicis, aut fossatis, vel in ripis, aut alibi proiecerit, sit in pęna florenorum quinque, & credatur accusatori, seu denuntiatori.

De Fontibus, & Aquis non diuertendis. Cap. 21.

QVI fontes, aut aliquem eorum, aut aquas discurrentes per territorium Aquarum diuerterit, seu auerterit à solito cursu vt viæ publice, seu Communis deuastari possint, seu etiam prædijs particularium personarum damnum inferre, sit in pœna florenorum quinque, & damnum emendet, & quilibet possit accusare, & eius iuramento credatur, quin etiam teneatur iusdicens ad requisitionem Sindicorum, vel alterius personæ ex officio suo de prædictis inquirere, & contrafacientes punire vbi prius per deputatos à Consilio fuerit ordinatum, & declaratũ, qua fluere debeant aquæ.

De vijs publicis non effodiendis, nec deuastandis. Cap. 22.

SI quis rursus vias publicas, aut ripas earum effoderit, vel deuastauerit, seu terram, vel arenam inde acceperit, de quibus stetur iuramento cuiuscunq; qui eum accusauerit, soluat bannum floreni vnius, & quiq; earum destruxerit, vel deteriorauerit in pristinum restituat infra triduum à die quo accusatus fuerit.

De Iniurijs. Cap. 23.

QVI prior opprobrium, seu conuicium improperauerit, aut iniuriam dixerit, seu fecerit alicui rixando condemnari possit vsque in quantitatem florenorum decem inspecta qualitate iniuriæ illatæ, vel factæ, & personæ tam que iniuriam dixerit, seu fecerit quam quæ iniuriam passa fuerit arbitrio iusdicentis, & si opprobrium, seu conuicium quis improperauerit, aut iniuriam dixerit, vel fecerit alicui in Ecclesia, aut in platea Ecclesiæ maioris, seu in platea Communis, aut in balneis, vel in platea balneorum, seu in pallacio Communis, aut alibi coram iusdicente condemnetur in duplo pro qualibet vice, & si improperauerit, seu dixerit, vel fecerit opprobrium, vel iniuriam ipsi iusdicenti, aut eius militi sit in pęna triplicata. si vero Sindicis Notario, vel Clauario Communis incurrat pęnam triplicatam, qui autem prouocatus responderit improperando dicendo, vel faciendo alicui opprobrium, aut iniuriam, soluat tantum dimidiam dictarum pęnarum respectiuè.

De insultu, & percussionibus sine sanguine. Cap. 24.

ATqui insultando, vel rixando aliquem percusserit pede, pugno, aut alio membro, aut ligno, lapide, ense, aut quibusuis armis, aut

alapam dederit, seu per capillos acceperit, vel traxerit, nec tamen in terram proiecerit nisi sanguinem effuderit, sit in banno florenorum quindecim; si vero iniuriose aliquem impulerit, & in terram cadere fecerit, condemnetur in duplum, & si non percusserit, sed insequutus fuerit vel lignũ; ensem, aut quiduis aliud contra aliquem leuauerit quasi eum percussurus incurrat pęnam florenorum quindecim, & si aliquid ex prædictis contra iusdicentem. & eius militem commisserit, incurrat pęnam triplicatam, si contra Sindicos Notarium, vel Clauarium Communis duplicatam præstet, & si aliquid prædictorum perpetrauerit in quemuis, in Ecclesia, aut in platea archiuolti, vel Ecclesiæ maioris, aut in balneis. vel platea balneorum, seu in pallacio Communis vel alibi coram iusdicente dup licetur pęna singula singulis congruè refferendo, Si quis autem contra aliquẽ insultum fecerit aliquo ex modis prædictis ad domum, vel stationem alicuius, quod debet esse tutissimum refugium, soluat pro banno qualibet vice tantundem, ac si in pallacio Communis, vel Ecclesia, & credatur insultato, ac domesticis, & familiaribus ipsius cum iuramento eorum.

De feritis, & percussionibus cum sanguine. Cap. 25.

SI quis insultando, vel rixando manu vacua aliquem percusserit. & sanguis exiuerit, det pro pęna florenos triginta, at qui aliquem cum cultello, ense, falce, aut quibuslibet armis percusserit, seu ferierit cum sanguinis effusione: si quidem tractatim ferierit, & feritus manum, pedem, nasum, aut aliud membrum perdiderit, incurrat, qui percusserit pęnam scutorum viginti vltra pęnas, quibus etiam subijciatur si autem feritus nullum membrum amisserit, pęna sit ferienti dumtaxat florenorum quinquaginta, quod si ferita, & percussio non fuerit facta tractatim feritus tamen aliquod membrum perdiderit, cadat in pęnam scutorum duodecim cum dimidio; si autem percussus nullum membrum amisserit, nec ex ferita mortuus fuerit, condemnetur qui ferierit in pęna florenorum quinquaginta, & si aliquod prædictore in iusdicentem, vel militem eius commissum fuerit, pęnam soluat qui commisserit triplicatam si in Sindicum Notarium Communis.vel Clauarium, dum eorum officium exercent duplicatam, & similiter duplicetur pæna, si ferita, seu percussio illata fuerit ad domum habitationis, vel ad apothecam, seu stationem feriti, aut coram iusdicente, aut in locis descriptis in præcedentibus capitulis, ita quod singula singulis congruè refferantur; teneatur quoque iusdicens in casibus prædictis condemnare percussorem erga feritum in omnibus expensis, quas fecerit occasione vulneris ei illati, & si simul rixantes ambo fuerunt percussi, puniatur qui fuit auctor rixæ.

Vt

Vt liceat impunè causa corrigendi modicè percutere. *cap. 26.*

EXcipiantur tamen maritus qui vxorem, pater qui filios, vel nepotes, aut quiuis alius, qui propinquos vsque ad quartum gradum Iuris Canonici. Item tutor, vel curator qui pupillum, vel adultum masculum, vel feminam, quorum tutellam, vel curam haberet. Item & Dominus qui famulum, aut pedissequam secum stantes, aut Rector scolarium, qui pueros, aut alius Magister, qui artem aliquam adiscentes, causa corrigendi, modicè percusserint quibus id facere liceat impunè.

Quod habita pace per delinquentem, soluatur tantum dimidia pars pœna. *Cap. 27.*

SI quis autem Ciuis, vel forensis habuerit pacem cum offenso, vel percusso forense, vel Ciue intra dies octo à die iniuriæ, seu offensionis, vel percussionis, & feritę per eum illatæ, & fidem fecerit coram iusdicente per publicum instrumentum tempore deffensionis teneatur iusdicens eum in dimidia tantum dictarum pęnarum pecuniarum condemnare respectiuè, & pro altera dimidia eumdem absoluere; idem statuen. in eo qui inquisitus de aliquo delicto, se illud commisisse fatetur, & submittat se declarationi fiendæ per iusdicentem sine vlteriori processu.

De pęna infringentis, seu violantis pacem. *Cap. 28.*

PAX, & concordia quæ inter aliquos Ciues, & habitantes Aquis firmata fuerit occasione alicuius iniuriæ vulneris, vel homicidij, aut cuiusuis discordiæ omnino obseruetur, & qui eam infregerit, seu violauerit, & inde ferita aliqua percusserit, soluat duplum pęnæ, quæ imposita est ferienti aliquem cum sanguine.

De Homicidijs. *Cap. 29.*

CÆterùm si quis ferierit aliquem tractatim, & feritus ex ferita mortuus fuerit, puniatur qui ferierit si capi poterit, seu in fortiam Communis peruenerit, pęna capitis, ita quod anima separetur à corpore, & si capi non poterit, banniatur in perpetuum à toto Dominio Illustrissimi D. Marchionis. Si autem sequutum fuerit homicidium ex percussione, & ferita facta non tractatim, banniatur similiter qui ferierit in perpetuum, nec à banno exire possit nisi habita pace ab agnatis, & cognatis proximioribus in gradu, & nisi prius soluerit præfato Illustrissimo Domino

mino Marchioni viginti quinque scutos, in quibus iusdicens teneatur eum condemnare.

De Robaria. Cap. 10.

QVicunque Robariam prædę causa fecerit, seu facere tentauerit. Si quidem fuerit publicus latro, aut publicarum viarum insidiator furcis suspendatur, ita quod moriatur. Si vero quilibet alius fuerit condemnatus in pęna ducatorum decem, & ad restitutionem rei de robatæ, seu ad eius extimationem, & ad quodcumq; damnum datum liceat tamen Camparijs, & cuicunq; Ciui Aquensi impune aliquid auferre forensibus damnum dantibus super teritorio Aquarum pro banno, & idem facere possit Dominus contra famulum, vel pedissequam fugientem, & contra quoscunq; repertos furari, & creditori contra debitorem fugitiuum dum tamen in termino viginti quatuor horarum consignet iusdicenti quicquid abstulerit, credatur autem prædictis cum iuramento de inuentione, & fuga si fuerit bone vocis, & famæ.

De Furtis. Cap. 11.

PRO furto vero alicuius rei valoris florenorum decem infra condemnari possit, qui illud fecerit in florenis quinque, & ad restitutionem rei furatæ, vel ad eius extimationem, qui autem furtum fecerit de re valente vltra florenos decem exclusiuè vsque in florenos viginti, soluat pro pęna florenos decem, & restituat rem, seu valorem eius & si furtum fuerit de re valoris vltra vigintiquinq; florenos, incurrat pęnam dupli eius, quod furto subtraxerit, & condemnetur similiter in restitutione rei furtò subtractè seu in eius æstimatione, & prædicta intelligantur pro primo furto, qui vero secundum furtum fecerit, fustigetur per Ciuitatem, & ei qui tertium fecerit vltra fustigationem abscindatur auricula, pro quarto autem furto furcis suspendatur, ita quod vitam amittat. Si quis verò furtiuè domum, apothecam, vel capsinam alicuius intrauerit sine licentia Domini, vel habitantis, vel aliquid ruperit, seu fregerit vt aliquid furtò subtraheret; si fuerit de nocte cadat in pęnam florenorum quinquaginta, & si fuerit de die, puniatur in pęna florenorum vigintiquinq; etiam si nihil inde esportauerit, & qui ceperit furem, & iusdicenti præsentauerit, seu indicauerit ita quod veritas eius medio cōperta sit; si pro furto pęna erit pecuniaria, habeat tertiam partem pęnæ; si autem pęna erit corporalis, consequatur tertiam partem ipsius furti, quæ ei detur per iusdicentem de bonis ipsius furis, & sub silentio retineatur; si vero ceperit furem, & eum iusdicenti non consignauerit, soluat pęnam, quam deberet soluere fur.

De Incendio. Cap. 32.

QVi ignem posuerit in aliena segete, vel nemore, seu in domo apotheca, capsina, vel stabulo, aut quacunq; alia re si dolo malo id fecerit, & sequutum fuerit magnum incendium, banniatur in perpetuum, & eius bona Cameræ Illustrissimi D. Marchionis applicentur, sine cuius licentia à banno exire non possit, & si mors alicuius personæ ex dicto incendio interuenerit, puniatur qui incendium posuerit vltimo supplicio. Si autem id fecerit ex culpa lata, vel leui puniatur arbitrio iudicẽtis, vsq; ad florenos quinquaginta, iuxta qualitatem culpæ, & incendij, & vtroq; casu resarciatur damnum, vel eius extimatio persoluatur ei qui incendium passus fuerit, & à quocumq; possit accusari.

De violatoribus mulierum. Cap. 33.

QVisquis mulierem aliquam Virginem, vel maritatam, viduam, seu monialem laudabilis, & honestæ conuersationis carnaliter cognouerit, si quidem volentem, & non resistentem prout præsumatur in dubio nisi contrarium probetur, incurrat pęnam florenorum vigintiquinque, si accusatio, seu denunciatio data fuerit per aliquem, qui suam vel suorum iniuriam persequatur, & delictum fuerit probatum ad minus per vnum testem bone vocis, & famæ, & cum iuramento mulieris, quæ carnaliter cognita fuerit; si vero quis cognouerit aliquam mulierem ex prædictis non consentientem sed rei stentem, quo ad potest, & sufficienter arbitrio boni viri verbis, vel facto, & delictum probatum fuerit ad minus per vnum testem vt supra cum iuramento talis mulieris puniatur in scutis vigintiquinq; & si mulier violenter cognita fuerit, virgo condemnetur dellinquens erga dictam Virginem ad eam dottandum condecenter, & si pęnam soluere non poterit, fustigetur per Ciuitatem, & banniatur, si vero delictum fuerit tentatum, & non consumatum, & mulier resistentiam non fecerit, soluat pro pęna qui tentauerit florenos duodecim; si accusatio, vel querela porrecta fuerit vt supra; si vero mulier modo prædicto resistentiam fecerit, & actus non fuerit consumatus, sed solum attentatus, & constiterit de delicto vt supra, pęna sit dellinquentis vigintiquinq; florenorum; intelligatur autem mulier vitæ laudabilis, & conuersationis honeste, que non fuerit solita meretricari, nec quastum sui corporis facere.

De Infantibus expositis. Cap. 34.

QVI filium, vel filiam infantem ex quocunq; damnato coitu natum, vel natam, super aliquod altare, vel ante valuas alicuius Ecclesiæ,

aut

aut alium quemuis locum intus, vel extra Ciuitatem, vel super territorio Aquarum posuerit, incurrat pęnam florenorum vigintiquinq; credaturq; cum iuramento accusatoris, vel denuntiatoris, & teneatur iusdicens contra quascunq; personas repertas culpabiles, seu suspectas de prædictis procedere, & inquirere summariè, simpliciter, & de plano sine strepitu & figura iudicij solaq; facti veritate inspecta, easq; punire vtsupra, ac compellere omnino omnibus iuris remedijs parentes expositi, vel exposite, vel alterum eorum, quando alter eorum esset pauper, & modum non haberet ad eum, vel eam alen. & nutrien. omni remota exceptione: Et quia quandoq; ignoratur expositor, & Communitas ad infantis educationem grauatur, statuitur, quod si compertus fuerint pater, vel mater expositi teneantur reficere omnia damna expen. & interesse vltra pęnam prędictam.

De occupata, & ablata possessione. Cap. 35.

QVI occupauerit possessionem alicuius propria auctoritate, & sine licentia iusdicentis, vel domini possessionis, vel eius detentoris, sine armis condemnetur ad restitutionem possessionis, ac fructuũ, & ad emendationem cuiuscumq; damni, seu ad eius extimationem, & in pęna florenorum quinquaginta. Si verò qui propria auctoritate, & sine licentia vtsupra spoliauerit aliquem possessione alicuius predij rustici, vel vrbani, quod possideat, seu detineat violenter, & cum armis puniatur in quinquaginta ducatis, vltra restitutionem possessionis, ac fructuum quos perceperit, ac damni emendationem, seu æstimationem reliquis pęnis legalibus in suo robore permanentibus: Et si quis missus in possessionem auctoritate iudicis, seu associatum in possessionem per eius militem, seu per nuntium Communis de mandato iusdicentis in ipsam possessionem intrare prohibuerit, eiq; resistentiam fecerit si quidem cum armis soluat pro banno florenos quinquaginta; si autem sine armis incurrat pęnam florenorum vigintiquinq;, vxor tamen, vel nurus eius cuius fuerit possessio quę remaneret in eiusdem possessionis retentione pro dotibus suis, & subesset iusta causa detentionis nulla pęna plectatur.

De termino moto. Cap. 36.

QVicunq; terminum finalem scienter, & dolo malo eradicauerit, vel mutauerit, uel affixerit vbi non debet in præiudicium vicini, aut alio transportauerit, seu absconderit, condemnetur in pęna florenorum centum; & si per ignorantiam, aut fortuitu cum operam daret rei alicui illicitæ illum auulserit dimidia tantum pęnæ prædictæ puniatur, &

ad

ad eandem pœnam teneatur, qui faciem alicuius loci mutauerit, seu conuerterit, incidendo arborem, aut alio quouis modo ne causa finalium quæstionum dignoscatur, & vt fines obscurentur.

De mendacio. *Cap.* 37.

QVI fuerit requisitus à Iudice, vt veritatem dicat de aliqua re, vel facto, & eam dicere iurauerit, si postea de mendacio conuictus fuerit, det pro pęna florenos quinquaginta.

De Contractu fictitio, & simulato. *Cap.* 38.

QVisquis contractum ficticium, & simulatum, & fraudolosum fecerit penam florenorum viginti soluere teneatur: Et si Iusdicens scienter dictauerit Instrumentum aliquod ficticium, vel in fraude factum amittat de suo sallario florenos vigintiquinque pro pena, & tantumdem præstet Notarius, qui scienter receperit aliquod huiusmodi Instrumentum, possit autem iusdicens cognoscere, & procedere contra facientes contractus ficticios, vel in fraudem ex leuibus præsumptionibus, & indicijs & ex qualitate personarum, ac facti, seu contractus.

De falsis Testibus, & Instrumentis. *Cap.* 39.

QVicumque autem falsis testibus, vel testimonijs, seu Instrumentis, uel cartis, vno, vel pluribus scienter vsus fuerit, aut ad dicen. falsitatem quempiam instruxerit, vel instrumentum falsum fieri mandauerit causam amittat, & insuper incurrat pęnam ducatorum vigintiquinque sitq; perpetuo infamis, qui vero contra aliquem falsum testimonium dolo malo deposuerit, similiter sit infamis, & Bulla ferrea in fronte bulletur, ita quod bulla ei in perpetuum appareat. & pęna quinquaginta ducatorum persoluat, & si eam soluere non poterit banniatur à toto dominio Illustriss. D. Marchionis. Notarius vero, qui Instrumentum, vel actum publicum falsũ confecerit abscindatur manus, cum qua scripserit, & fiat infamis, insuper condemnetur ad restitutionem omnium damnorum parti lese.

De receptatoribus Bannitorum. *Cap.* 40.

SI quis bannitum scienter in domum suam receperit, aut ei cibum, vel potum, aut opem, vel consilium dederit, aut quid aliud porrexerit, iusdicens præstita fide iuramento accusatoris, uel denuntiatoris pęna vnius ducati eum mulctabit.

De Pœna reuellantis secreta Consilij. Cap. 41.

Consiliarius qui reuellauerit secreta Consilij, quæ per iusdicentem ei imposita fuerint, vt secreta retineantur cadat in pænam ducatorum decem, & vlterius remoueatur à Consilio, nec ad illud reddire possit, nec aliquod officium in Communi habere vsq; ad decem annos translactos; & si fuerit Notarius Communis vltra pænam prædictam non possit admitti ad dictum officium vsq; ad tempora antescripta; si autem fuerit Nuntius Communis, puniatur vt dictum est supra in capitulo de officio Nuntiorum, seu famulorum Communis.

De eo qui non tacuerit, vel de Consilio exire noluerit ad Præceptum Iudicis. Cap. 42.

Vicunq; iussus fuerit à iusdicente in Consilio, aut ad Tribunal Iuris ad sedandos rumores, vt silere debeat, tacere noluerit, sed contra iustum præceptum iusdicentis vlterius uerba fecerit nulla ab eo impetrata, & obtenta licentia, quicunq; item iussus, vt de consilio in quo de eius forte negotio, aut causa sit tractandum exire debeat, non exierit, sit in banno florenorum quinq; pro primo præcepto, & decem pro secundo, & pro tertio quindecim.

Si quis se pignorari non permisserit. Cap. 43.

Vferatur pęna ducatorum decem, ei qui non permisserit se pignorari per militem, seu collateralem Iusdicentis, & nuncios Communis, seu qui pignus eis, vel alteri eorum dare recusauerit, aut prohibuerit, aut ab eorum, vel alterius ipsorum manibus abstulerit, quorum rellationi de prædictis credatur.

Si canes, & bestie mordere, & offendere soliti alicui nocuerint. cap. 44.

SI quis canes solitos mordere tenuerit non ligatos, vel bouem, equum, mulum, aut aliquas alias bestias solitas offendere habuerit, siue canes siue bestiæ prædictæ alicui, cui tamen eos, vel eas non prouocauerit damnum dederint, vel fecerint, incurrat bannum florenorum decem: Et insuper teneatur emendare omnia damna, interesse, & expensas, quibus affectus fuerit, cui damnum illatum fuerit. Si vero canes, aut bestiæ ab aliquo prouocatæ eundem qui prouocauerint, momorderint, aut offenderint, dominus eorum, siue earum in nihilo teneantur.

Si quis foueas fecerit. Cap. 45.

QVI foueas copertas in suo, vel alieno fundo fecerit, cadat in pęnam floreni vnius, & si aliqua persona, vel bestia in eas ceciderit, & damnum, vel deteriorationem fuerit passa, soluat omne damnum passo, seu deteriorato, nisi dictas foueas signatas ante, & retro habuerit aliquo signo altitudinis duorum pedum cum dimidio trabuchi à terra, ita quod personæ, & bestiæ non nisi prauidentes illuc accedant.

Si Animal alicuius infectum, vel deterioratum fuerit. Cap. 46.

QVI animal alicuius Ciuis, aut habitantis Aquis interfecerit, vel deteriorauerit, seu deturpauerit, soluat pro banno duplum extimationis dicti animalis, & domino quoque animalis damnum in duplum emendet, & qui incitauerit canem alienum contra animal alicuius, ita quod per eum fuerit deuastatum, soluat bannum, & damnum emendet vtsupra, nullamq; pęnam dominus canis patiatur. Si vero animal alicuius sine incitatione, animal alterius interfecerit, seu deteriorauerit, dominus illius teneatur dumtaxat extimationem soluere domino animalis interfecti, vel deteriorati nec bannum aliquod prestet, si id amicabiliter fecerit, si autem compulsus fuerit iuris remedijs, soluat damnum & extimationem in duplum vtsupra dictum est, & expensas quas fecerit is cuius animal mortuum, seu deterioratum fuerit, si vero animal ab alio agressum illud interfecerit, vel deuastauerit nihil persoluatur, quia quodquisque ob tutellam sui corporis fecerit iure fecisse existimat.

Si Res commodata, aut locata perierit. Cap. 47.

SI res aliqua sensibilis, vel insensibilis, comodata, seu gratis concessa, vel mercede locata fuerit alicui, & perierit, aut deuastata, vel deteriorata fuerit, teneatur qui receperit in vtroque casu, soluere domino extimationem damni, nisi in casibus à iure exceptuatis.

Qui vinum forense in territorium Aquarum ducatur. Cap. 48.

SI vinum forense, & non natum super finibus Aquarũ portatũ, seu conductum fuerit per aliquem Ciuẽ vel forensem, palã, vel oculte etiã pro vsu suo in, & per territoriũ Aquarũ, & ibi reponatur, amittatur vinũ, bestia, ac plaustrum, & vasa super quibus, vel cum quibus conductum, seu portatũ

fuerit, & quiuis alius Ciuis, vel habitans Aquis, qui illud emerit, aut reposuerit in Ciuitate, det pro banno florenos quinque pro quolibet sextario vini liceat tamen cuicunq; ducere, seu portare vinum forense Fratribus Minoribus S. Francisci dictæ Ciuitatis impune, qui autem vinum prædictum portauerit, vel duxerit aliò, & per fines Aquarum solum pertransierit, det pro banno florenos decem pro quolibet sextario vini, & aliud non amittat præter vinum; & credatur cuilibet, qui aliquem contrafecisse accusauerit, vel denuntiauerit cum suo iuramento, & hoc capitulum attendatur, & obseruetur ad vnguem, nec mutari possit per cōsilium aliquo modo. Non possit item Iusdicens, nec Sindici dare licentiā alicui Ciui, vel forensi portandi, vel conducendi, seu portari, & conduci faciendi vinum prædictum contra dispositionem præsentis capituli; & si dederint, sit nulla ipso iure, & pro non data, & qui eam obtinuerit, si contrafecerit, prætextu talis licentiæ puniatur, vt supra. Possit tamen Consilium generale licentiam prædictam impartiri, & si pænę Communis venditę fuerint, licentia quoque impetretur à daciterio; & Ciuis, vel habitans Aquis vltra annos triginta possit à vindimijs vsq; ad Festum Sancti Martini conducere, seu conduci facere impune annis singulis.

De Columbis domesticis, non capiendis, nec interficiendis. **Cap. 49.**

COlumbos domesticos, vel priuatos alicuius Aquen. si quis cęperit, vel interfecerit, det pro banno florenum vnum pro quolibet Columbo, & qualibet vice, & tantumdem pro emenda, & si Columbos viuos cęperit illos restituat.

De Apibus. **Cap. 50.**

QVI Apium examen in suo, vel alieno fundo inuenerit præterquā in eo fundo, in quo quis alueos haberet, in quibus recluderentur eas, possit impune accipere, nisi dominus fundi, vel Aluis eas prius linteamine, vel alio euidenti signo suas esse velle demonstrauerit, aut statim, vt ex Alueis euolauerint, post eas venerit tunc enim eius sint, qui signum posuerit, vel eas prosequutus fuerit, Apes autem, quæ in arbore alicuius conscenderint, vel incluse erunt, si quis sine eius licentia acceperit pęnam incurrat florenorum decem, & domino arboris tantum persoluat, quanti apes mediocris aluei fuerint extimatæ.

De plantandis arboribus fructiferis, & alijs. **Cap. 51.**

QVILIBET Paterfamilias, teneatur quodlibet anno plantare arborem vnam fructiferam in hortis suis, vel proprietatibus

& qui contra prædicta, aut aliquid eorum fecerit, det pro banno florenum vnum, & vnusquisque possit eum accusare, teneatur autem Iusdicens ita quolibet anno proclamari facere.

Quomodo plantationes arborum fieri debeant, cap. 52.

QVisquis arborem aliquam cuiuscumque generis plantauerit prope ripas, aut vias pub'icas, aut prope fossata publica, vel priuata, aut prope predium alicuius vicini per pedes tres trabuchi soluat pęnam floreni vnius: Et arbor per eum excidatur, seu eradicetur statim, vt Iusdicens eam excidi, & extirpari iusserit, sub pęna prædicta quod statutum intelligatur de arboribus plantandis, non de antiquis.

De Sepibus inter consortes conficiendis, cap. 53.

QVI domum, hortum, curiam, vel sedimen contiguum, vel contiguam in Ciuitate, uel in suburbijs habuerit cum aliquo volente illam, & illud sepibus claudere teneatur, intra terminum ei per Iusdicentem statuendum clausuram facere de bonis sepibus, sub pęna solidorum decem pro qualibet vice, & si intra terminum, qui ei perfinitus fuerit, eam non fecerit, incurrat bannum solidorum trium pro quolibet die, si inde quærimonia Iusdicenti fiet.

De incisione, & eradicatione arborum. cap. 54.

QVisquis arborem non fructiferam magnitudine tibie hominis infra inciderit, vel eradicauerit, seu transportauerit, det pro banno florenos duos, pro qualibet vice, & si arbor fuerit grossior tibia soluat pro pęna florenos quinque, qui vero inciderit arborem fructiferam, si quidem fuerit infra magnitudinem brachij hominis incurrat bannum florenorum decem, si autem grossior fuerit, det pro pęna florenos quindecim, qui inciderit, ruperit, seu transplantauerit, aut eradicauerit vitem vsq; ad magnitudinem dimidij brachij hominis, soluat pęnam florenorum decem pro singula vite si sciens, & dolo fecerit, alias florenum unum pro qualibet vite, & inde supra duplum, & in vua vernatica, maluatica, muscatel'a, luadica; & passula duplicetur pęna singula singulis refferendo, possit autem, qui prædicta perpetrauerit à quocumq; cum iuramento accusari.

De Hircis, capris, & porcis non tenendis. Cap. 55.

NVllus teneat hircos, nec capras, super territorio, & finibus Aquariæ nec vltra duos, aut tres porcos ex quibus salsæ carnes confici possint pro vsu domus suæ tantum, sub pęna florem vnius: Et qui porcos habuerit nisi eos reclusos tenuerit pęnam incurrat eandem pro qualibet uice, vltra emendationem damni, si quod alicui dederit, & contrafacientes liceat vnicuique cum sub iuramento accusare, & si quis alienos porcos in domo sua inuentos, aut alienos hircos, vel capras in fundo suo repertos percusserit, nullam pęnam sustineat, possit tamen impune de mense Maij capram vnam à lacte tenere, ut pro sanitate vesci possit eius lacte, & sero.

De bannis campestris in genere. Cap. 56.

OMnium autem aliorum bannorum campestrium pęnæ imponantur & exigantur prout libuerit Consilio, vel personis ab eo electis, seu deputatis, vt faciunt capitula super bannis campestribus, fiatq; liber vnus, qui appelletur liber bannorum campestrium. Et quicquid uno anno ordinatum fuerit, seruetur annis sequentibus, nisi expresse fuerit reuocatum, aut emendatum, vel mutatum per Consilium, aut ab eis quos Consilium deputauerit.

Quod pro emenda tantum praestetur, quantum pro banna. Cap. 57.

QVoties imposita erit pęna, vel bannum aliquod pro damno dato, uel facto in prędijs, & bonis campestribus, intelligatur tantundem esse exigendum ab eo, qui damnum dederit, seu fecerit, & praestandum esse illi qui damnum passus fuerit pro emenda. Ita quod ad omnia, & singula banna, uel pęnas fiat congrua rellatio.

Quomodo damni dati extimatio, & emendatio fieri debeat. cap. 58.

DAMNI autem dati emendatio, cum per aliquem à Campario requisita fuerit, non fiat eius extimatio per extimatores Malepagarum, nec damnum emendetur nisi is cui damnum datum, seu illatum fuerit, & illud per dictos Extimatores visitari postulauerit, solemniter in manibus Iusdicentis iurauerit, damnum fuisse datum, seu illatum contra, ac prater eius uoluntatem seq; nescire quis illud dederit, uel fecerit, quo iuramento utsupra prestito,

& facta rellatione per extimatores fiat banni, & emende exequutio, & si de inceps compertum fuerit damnum ab eo cui fuerit emendatu, vel ab alio co sciente, vel patiente latum, atq; factum fuisse compellatur statim, qui damni emendationem obtinuerit ea restituere Campario illam duplicatã, & vltra florenos decem pro pena Communi persoluat, & quia sepenumero contingit, quod deuastata fuit aliqua possessio in fructibus, siue messis siue vinea, siue pratum, siue in arboribus, & nullæ factæ fuerunt accusæ in termino, & forte deprehenditur aliqua persona, vel aliqua bestia in dicta proprietate, quæ verisimiliter non potuisset tantum damnum inferre, & cogitur iustis pro iniusto pati, ordinatum, & statutum fuit, quod facta accusa, & defensione accusati, si accusatus requisiuerit fiat damni vilitatio, & quantum sit non teneatur nisi pro quanto verisimiliter damnum inferre potuit bestia accusata, & non vltra in relliquis teneatur Camparius.

Quod pro bannis Campestribus parentes teneantur pro filijs, maritus pro vxore, fratres pro fratribus indiuisis, & Domini pro famulis. Cap. 59.

PArentes teneantur soluere banna campestria pro filijs, vel filiabus, vt discant eos corrigere, & castigatos efficere, maritus quoq; pro vxore eatenus quatenus fructus dotales patientur, similiter fratres soluant pro fratribus, & sororibus si indiuisi fuerint Domini. Item teneantur pro famulis, & famulabus pro rata sallarij, quod eis debebunt, si ipsis dominis notitia facta fuerit, antequam famuli, vel famulæ ab eis recedant vbi autem damnum illatum fuerit per bestias, teneatur dominus bestiarum de proprio, vbi sallarium non sufficiat.

De bannis in specie taxatis. Cap. 60.

QVI cum bestijs, vel sine bestijs ingressus fuerit alienas proprietates pendentibus in eis fructibus, sine licentia Domini, soluat pro banno florenum vnum pro quolibet, & qualibet bestia, & tantumdem pro ingressu, & egressu etiam quod nihil exportauerit, vel damnum intulerit vltra solutionem banni, & emende, exceptis ab hac pena bobus, & alijs bestijs, vltra oues quibus non liceat pascere in pratis à Calendis Martij vsq; ad calen. Nouembris, ingredientibus prata aliena, pro quibus soluatur bannum, & emenda, & vltra solidi quinque pro qualibet bestia cũ expensis, & sallario extimatorum, vbi damnum fuerit notabile, & ab eis extimatum fuerit, intelligendo tamen, quod non incurratur pena pro ingressu, & egressu Castagnatorum, pro Collectione Castanearum, postquam castaneæ fuerint recollectæ, & vt vulgo dicitur raspizatæ per patronos.

Qui

Qui fuerit ad messonam, seu colligen. spicas in agris alienis, donec fuerint coues reductæ in capetis, seu burlis, soluat bannum floreni vnius, pro quolibet, & qualibet vice.

Qui acceperit spicas in alienis segetibus nundum incisis, soluat florenũ vnum pro quolibet manipulo, & qui acceperit spicas in polastris, seu couis, vel in capetis, seu burlis, soluat florenum vnum pro quolibet manipulo, & ducatum vnum pro qualibet coue, quam acceperit, & idem intelligatur de vitijs, & huiusmodi, & qui acceperit fabas, ciceres, fasiolos, & huiusmodi, soluat solidum vnum pro qualibet fila, vltra pęnam ingressus, & egressus.

Qui duxerit bestias ad pascendum in stipulis alienis quandiu in eis fuerint coues, siue in capetis, siue in burlis donec messes integraliter fuerint de illo prædio abductæ, soluat florenum vnum pro qualibet bestia.

Qui inciserit, secauerit, eradicauerit, seu exportauerit stramen, seu stipulam de stipulis, & agris alienis, soluat florenum vnum pro quolibet fascio, & qualibet vice, & pro qualibet salmata florenos tres.

Qui colligerit herbam in messibus alienis, soluat florenos duos pro quolibet, & qualibet vice.

Qui colligerit herbam in pratis alienis, & qui conduxerit herbas in sachis, soluat florenum vnum pro quolibet fasciculo quolibet sacho, & qualibet vice.

Qui tempore Hiemali duxerit oues, & aliud pecus lanuum, seu capras in vitibus, & tabulatis alienis. soluat florenum vnum pro qualibet dictarum bestiarum, & qualibet vice.

Qui intulerit damnum in vitibus alienis cum best js, uel sine soluat florenum unum pro qualibet uite comesta, uel si acta, seu uastata ultra damnũ emergens, & lucrum cessans prout ab estimatoribus fuerit estimatum sumptibus damnum dantis.

Qui exportauerit de uitibus alienis unam, uel duas uuas ad plus ultra pænas ingressus, & egressus, soluat pro banno pro quolibet uua solidos quinq; & tantundem pro emenda, & ultra duas uuas comestas, seu exportatas, soluat pro banno pro qualibet uua solidos decem, & tantundem pro emenda, & etiam pęnam ingressus, & egressus.

Qui exportauerit de uineis alienis caracciolos, uel cannas, uel putamina uitium, uel caraciarum inciliones. soluat florenum unum pro quolibet & qualibet uice.

Qui in alienis uineis barbellauerit uites, uel acceperit maleolos radicatos, soluat florenum unum pro quolibet maleolo, & florenum unum pro qualibet barba uitium, & pro qualibet canna esa spoliata, seu deuastata, uel exportata, solidos quinq; pro qualibet.

Qui colligerit, seu inciserit salices, seu gorrinos super salicibus alienis,

nis, siue albis, siue rubeis, siue siluestribus, soluat solidum vnum pro quolibet gorrino.

Et qui colligerit, seu inciserit ramos super salicibus alienis, soluat florenum vnum pro quolibet, & qualibet arbore, & qualibet vice.

Qui miserit porcos ad pasculandum, vel eos vagare permiserit per Ciuitatem, soluat florenum vnum pro quolibet, & qualibet vice.

Qui venatum fuerit in vineis alienis quandiu fuerint vue in eis, vel in messibus alienis, vel canepis cum canibus, vel lite, siue alibi cum aliquo ingenio, soluat ducatum unum pro qualibet persona qualibet vice, & quolibet cane, etiam quod canis inuentus fuerit sine Domino.

Qui inciserit, vel abstulerit ligna in nemoribus tam Communis, quam particularium, soluat pro quolibet fascio florenum vnum, pro qualibet asinata florenos duos pro qualibet cauallata, seu mullatata florenos tres pro quolibet roserio, seu plantono, ducatum vnum.

Qui in nemore Communis duorum annorum pasculauerit, soluat florenos duos pro qualibet bestia bouina, seu cauallina, vel asinina: & in nemoribus particularium vltra pænam, & bannum suprascriptum; soluat tantum pro emenda quantum pro banno.

Et vltra omnes pænas vt supra, & alibi in statutis limitatas teneatur, qui damnum dederit tantum dare pro emenda quantum fuerit bannum; nisi visum fuerit damnum passo illud estimari facere, intelliganturq; banna omnium damnorum illatorum noctis tempore, quod pro eis solui debeat duplum eorum, quæ fuerint de die commissa, & in omnibus damnis de quibus in statutis præcedentibus, & sequentibus continetur semper fiat solutio banni pro introitu, & exitu, vltra pęnas prædictas, & vbi super eisdem pænis inueniatur, dispositum, & per consilium ordinatum aliter quam per statuta seruentur ordines non statuta: quæ pęnæ statutorum de bannis campestribus, & criminalibus Ciuitatis, soluantur de moneta vsuali, & tempore commissorum delictorum curren. non ad monetam Asten. nisi aliter in statutis disponatur.

Pęnæ damnum dantis in nemoribus Communis. soluantur modo prædicto vz. dimidia daciterio Communis, altera dimidia diuidatur in tres partes vz. tertia Prætori, tertia scribæ, tertia Camparijs.

Pęnæ vero damnum dantis in nemoribus, & proprietatibus particularium, & priuatarum personarum soluantur pro dimidia daciterio, & altera damnificatis.

Daciterius autem habebit dimidiam partem datarum, & tertiam partem bannorum campestrium, de pęnis vero incurren. per vendentes ad minutum vz. per eos, qui extimationibus factis per extimatores contrafacient, habebit dimidiam, nisi interueniat accusator, quo casu pęna diuidatur

tur in tres partes scilicet tertia Prætori, tertia accusatori, & tertia daciterio, habebit tertiam partem pænarum impositarum circa dacita Communis tertiam partem transitus uini de quo in statuto quod ad unguem obseruetur, & de pænis criminalibus Communis de quibus in statutis habebit partem spectantem Communi non possit tamen daciterius facere accordium pro bannis, in quibus de iure deuenitur ad inquisitionem ante latam sententiam super processu: de bannis autem, & accusis, in quibus non proceditur per inquisitionem ut sunt banna campestria, fraudes dacitorum, & alia, in quibus per solam accusam iuratam condemnatur accusatus possit cum accusato concordare non tamen sine scientia, & interuentu Iudicis, de cuius interesse agitur, & DD. Sindicorũ, & cuiuslibet accusatoris, denuntiatoris, & etiã saltuarij quod si contrafecerit ipso iure, & facto puniatur in duplum pænæ, quam permeruisset reus, siue accusatus, aut denuntiatus.

Quomodo consentientes, & mandantes delicta fieri puniantur. *Cap. 61.*

QVicunque consenserit, vel mandauerit delictum fieri, aut quibusuis statutis per interpositam personam conuenerit, seu auxilium, consilium, aut fauorem præstiterit alicui ad quoduis delictum, vel maleficium committendum, vel statutis contrauenien. siquidem effectus sequutus fuerit puniatur eadem pæna, qua ille, qui fecerit, siue pena fuerit corporalis, siue peccuniaria, si autem effectus non fuerit sequutus, & pæna erit peccuniaria condemnetur in dimidia dictæ pænæ peccuniariæ, si vero pæna fuerit corporalis puniatur arbitrio Iusdicentis, iuxta qualitatem delicti, & personarum, nisi aliquo statuto aliud caueatur.

De pæna mulierum, & minorum. *Cap. 62.*

MVlieres, & minores quatuordecim annis maiores tamen annis decem non teneantur nisi ad dimidiam suprascriptarum pęnarum, quæ fuerint peccuniariæ, & ad restitutionem rei, vel ad eius extimationem si furtum fecerint, aut damnum alicui dederint, minores autem decem annis in nihilo puniantur, nisi quod si quid surripuerint illud restituant.

De Pæna forensis dellinquentis. *Cap. 63.*

FOrensis, qui delictum, aut maleficium aliquod in territorio Aquensi cõmisserit. aut damnum dederit contra alium forensem eandem pęnam sustineat, quam Ciuis. quod si delliquerit, aut aliquid perpetrauerit damnumue dederit, contra Ciuem soluat duplum eius quod solueret Ciuis

habita semper congrua relatione ad omnes, & singulas pęnas supra taxatas.


Quod ciuis dellinquens in forensem mitius puniatur. *cap. 64.*

Ciuis vero, qui contra forensem deliquerit, eiuè damnum dederit, seu fecerit dimidiam tantum pęnarum, quæ Ciui contra Ciuem per statuta imponuntur, persoluat, & mitius puniatur.

De Prothocollis imbreuiaturis, & filcijs Notariorum non pignorandis. *Cap. 65.*

Quilibet Notarius custodiat, & penes se retineat Instrumenta, seu prothocolla, imbreuiaturas, & Filcias, nec alicui ea, vel eas pignoret, & si contra fecerit det pro banno florenos centum, & vltra sit priuatus ipso iure, & facto ab officio tabellionatus, & eandem penam incurrat, qui ea, vel eas receperit, & nihilominus ad earum restitutionem compellatur.

FINIS LIBRI TERTII.



STATVTORVM

CIVITATIS AQVARVM

LIBER QVARTVS.

Qui vendentes, & ementes, aut aliter contrahentes exercitiumq; aliquod facientes concernit.

PROEMIVM.

PRosequenti eos qui pro aliquo delicto, vel damno dato, seu facto pœnam sustinere debent, neccessarium videtur de his etiam dicere qui emunt, & vendunt, aut aliter contrahunt, exercitiumq; aliquod faciunt cum ipsis quoque si quid delliquerint, aut damnum cuipiam dederint, pæne sint constitutæ, quare hic liber ad eos pertinet.

De Iuramento Mercatorum, & artificum. Cap. 1.



STatutum est itaq; quod mercatores, artifices, & exercitiũ aliquod facientes, teneantur in termino eis per iusdicentem statuendo intra dies quindecim à die qua regimen Ciuitatis Aquarum susceperit solemniter in manibus eius iurasse, & ita per Notarium Communis in libro actorum annotari fecisse, quod artem suam bene, & fideliter exercebunt, & quod neminem in pondere, vel mensura fraudabunt, nec vltra extimum quid vendent, nec rem vnam dabunt pro alia, & quod demum statuta de se loquentia diligenter obseruabunt, & qui in dicto termino non iurauerit pęnam florenorum decem præstet, & nihilominus ad iurandum compellatur.

De ponderibus, & mensuris iustandis. Cap. 2.



CVrabunt item, quod omnes habentes pondera, & mensuras, vt iustentur, & signentur ad campiones, vel autentica Communis, in termino eis præfigendo per Iusdicentem, vt supra per eum, seu eos, qui per Consilium deputati fuerint, & cum interuentu duorum, vel trium Consiliariorum, quos pariter consilium elegerit, & qui contrafecerit bannum florenorum duorum persoluat. & fides cuicunq; accusanti, vel denuntianti cum suo iuramento in prædictis adhibeatur.

Quo-

Quomodo Pondera, vel mensure esse debeant. Cap. 3.

SInt autem pondera, & pense ferri, siue de cupro mensure quoq; sextarij, & quartarij, quibus victualia emi, & vendi solent, sint, & fiant de ligno ferrato, bocalus etiam vini sit viginti octo vnciarum, & sit pinta de ære capacitatis bocalium duorum, brenta autem sit, & intelligatur mensuræ pintarum quadraginta quatuor, vel bocalorum octuaginta octo, campiones autem, siue autentica mensurarum, & ponderum, sint & esse debeant de cupro. Nemoq; autem audeat vendere nisi ad pondera, & mensuras secundum Campiones Iustan. & qui in prędictis contrafecerit det pro banno florenum vnum, & pro quolibet pondere, seu pro qualibet vice, & à quocunq; accusari, seu denunciari valeat.

De pœna tenentium iniusta pondera, & iniustas mensuras. Cap. 4.

CÆterum, qui iniusta pondera, & iniustas mensuras tenuerit, siue ipsius erunt, siue alterius, & eis scienter vsus fuerit incurrat pœnam florenorum vigintiquinq; pro qualibet vice, cuæ scientia in eo præsumatur, nisi probauerit se in termino proclamatis de sey man. seu aiustan. ponderibus, & mensuris ea seymari, & aiustari fecisse, & eandem penam soluat dominus, qui eá, vel eas sciens iniustas, alteri commodauerit, vel locauerit, qui verò maiora pondera, vel maiores mensuras, habuerit, quam esse debeant, tam qui comodauerit, vel locauerit, quam qui eis vsus fuerit, scienter vt supra in dimidia pœnæ prædictæ condemnetur cum sit verisimile eum potius velle cum illis emere, & venditores fraudare, quam vendere, & suum iactare.

Si quis aliquem in pondere, vel mensura fraudauerit. Cap. 5.

QVisquis vero habuerit quidē pondera iusta, & mensuras iustas, sed tamen quempiam in pondere, vel mensura fraudauerit hoc est minus pondus, seu minorem mensuram ei dederit, quam dare deberet rem venditam amittat, & leso damnum emendet, & vlterius præstet pro banno Communitati tantumdem pro qualibet vice, & à quocunq; cum iuramento accusari possit, & res uendita sit daciterij rasparie; siue accusatoris.

Quod nihil minutatim vendatur, nisi prius fuerit extimatum. Cap. 6.

OMnes insuper ædulia uendentes ad minutum nihil uendant preter pisces recentes, qui dicto extimo non subiaceant, propter eorū paucitatem, quod prius non sit extimatum per extimatores Communis, aut per duos eorum ad minus, & qui contrafecerit incidat in

pęnam florenos quinque pro qualibet vice, & credatur cuicunq; qui aliquem contrafacientem accusauerit.

De pena vendentis vltra extimum. Cap. 7.

ET quirem aliquam postquam extimata fuerit, vltra extimum, seu pluris, quam prædictis extimatores extimauerint cui quam vendiderit, teneatur duplum eius quod plus acceperit emptori restituere, & præter ammissionem rei soluat Communi pro banno florenum vnũ, si id quod vendiderit fuerit à libra inferius, si verò excesserit libram vsq; ad libras duodecim incurrat pęnam florenorum trium, & inde supra det pro pęna florenos quinq; pro qualibet vice, & præstetur fides cuilibet, qui de eo accusationem, vel denuntiationem fecerit.

De his qui vendunt quid pro quo. cap 8.

AT quicunq; mercator artifex, alius ue negociator, seu quæstum faciens merces non veras pro ueris, & bonis, aut rem vnam pro alia vendiderit, quiue aliud cum alio miscuerit, vel in sumitate ciste, vel calati, seu alterius rei pisces, vel fructus magnos, aut bonos, seu recentes, vel vnius generis, & inferius paruos, seu putridos, aut alterius generis habuerit, uel quiduis aliud simile vendiderit, seu fecerit ex quo emptor læsus, aut damnum passus fuerit, uel fraudem quam prius non uiderat, q iia non patebat postea cognouerit teneatur res uenditas recipere, & prætium emptori restituere, uel tanto minus uendere, seu damnum quod emptor passus fuerit arbitrio iusdicentis, & extimatorum Communis, aut duorum aliorum proborũ virorum in dicto exercitio expertorũ emendare. Si emptor intra octo dies à die emptionis, & uenditionis querimoniam de prædictis iusdicenti porrexerit, & præterea auferatur ab huiusmodi uenditore pro banno dimidiam valoris rei, in qua fraudem ut supra fecerit pro qualibet uice.

Si quis duos contractus de eadem re fecerit. cap. 9.

QVicunq; duas uenditiones perfecerit de una atq; eadem re mobili, uel immobili duabus personis, & diuersis temporibus incidat in pænam tanti quanti fuerit res uendita Communi applican. si in posteriorem emptorem translatum fuerit dominium remaneat res ipsa penes eum, teneaturq; uenditor priori emptori pretium restituere; si autem dominiũ in secundũ emptorem non fuerit translatũ, sit eadem res prioris emptoris, & secũdo emptori pretiũ per uenditorẽ restituatur & idẽ seruetur in quocũq; alio cõtractu facto cũ duobus, intelligaturq; perfecta venditio

seu contractus perfectus si partes vinum simul biberint, aut palmas ad inuicem percusserint, aut arra data fuerit, siue alia indicia his similia interuenerint, & partes ipsæ à loco in quo celebratus fuerit contractus prius discesserint, quam eos contractum fecisse peniteuerit.

Ne Reuenditores obuiam eant venientibus ad Ciuitatem, vt aliquid ab eis emant, cap. 10.

QVisquis emit, vt vendat si in die mercati, vel alia quacunq; die obuiam iuerit, venientibus ad Ciuitatem Aquarum, & res venales conducentibus, aut portantibus, seu conduci, vel portari facientibus, & aliquid ab eis prius emerit, quam hij in forum venerint, det pro pęna si fuerit frumentum, risum, oleum, & huiusmodi, scutum vnum pro qualibet salmata, & pro qualibet vice, & possit quilibet eum iuramento suo accusare.

Ne Reuenditores emant ante horam nonę. Cap. 11.

SI quis item Reuenditor emerit ante horam nonam in die mercati pullos, perdices, aut alias aues domesticas vel feras, lepores, aut alia quadrupedia, oua, aut alia similia, quæ eduntur; soluat pro banno dimidiũ rei, quam emerit, toties quoties contrafecerit, si vero extra plateã emerit, soluat pęnã duplicatam, & possit per quempiam accusari.

Ne emantur edulia in Ciuitate, vt aliò defferantur, cap. 12.

Quisquis etiam pullos, perdices, aut alias aues domesticas, uel siluestres, aut lepores, aut cuiuscumq; generis saluaticinas, oua, & alia huiusmodi, quæ manducari possunt emerit, vt extra territorium Aquarum portet, prius quam huiusmodi res per diem vnam ad minus in platea archiuolti venales fuerint, siue ita confessus fuerit, siue in itinere, & extra Ciuitatem cum dictis rebus fuerit repertus, incurrat pęnam florenorum duorum, & res ipsas ammittat, possitq; vnusquisq; eum accusare, vel denunciare, & prædictas res ab eo propria auctoritate, & impune auferre.

Quod Pisces recentes, & saluaticinæ, alibi non vendantur, quam in Platea Archiuolti. cap. 13.

OMnes quoque piscarij, seu volentes vendere pisces recentes, & vendentes saluaticinas, non possint eos, vel eas, alibi vendere, quam in foro, seu platea Archiuolti, & qui contrafecerit soluat pro banno pęnam in capitulo præcedenti contentam pro qualibet vice, & credatur cuicumq; qui eum cum iuramento accusauerit.

Ne quid fiat, quo Annona, & Merces carius vendantur. Cap. 14.

PReuideat autem summopere Iusdicens ne per aliquos quidpiam agatur quo annona, & merces in Ciuitate Aquarum carius vendantur, & vt Dardanarij seu facientes monopolia inquirantur, & si societatem conuenerit vt rerum prætia augeantur etiam si iure iurando & cum adiectione pænarum eam firmauerint, cogat eos Iuris remedijs sibiuicissim iuramentum ac pænas quascunq; remittere, & huiusmodi societatem distrahere, pæna verò dupli extimationis rei pro qualibet vice puniatur quisquis hoc crimine notatus fuerit, & qui imposturam aliquam fecerit, idest qui annonam, vel aliquid aliud pluris emerit quam valeat, vt cæteri ad emendum eodem prætio incitentur.

Ne Venditor impediatur quo minus quod vendere voluerit libere vendat. cap. 15.

QVi macellatori, aut alij venditori carnium, piscium, aut aliarum quarumlibet rerum, quas voluerit vendere, aliquod impedimentum fecerit, quo minus res ipsas libere vendat, ut quia carnem, pisces, aut quaslibet alias res per eum vendendas contra eius voluntatem abstulerit, aut stateram, pondera, vel mensuras, aut quiduis aliud eius acceperit, aut aliter quoquo modo eum turbauerit, seu molestauerit incidat in pęnam librarum trium imperialium, quæ statim ab eo auferatur, & cuiuslibet accusatori credatur.

De his qui emere volentem impediunt. Cap. 16.

PEr contrarium quisquis volentem aliquid emere impedierit maius puta pretium offerendo, aut aliquid aliud agendo ne ille emeret, soluat pro pęna florenos duos, nisi qui emere voluerit rem, quæ uenalis erat iam recusauerit, aut à contractu discesserit, tunc enim liceat alteri impune emere.

Ne quis vendendo aliquid faciat quo res venales conspurcentur. Cap. 17.

ITem volentes vendere panem, fructus, vel fruges, aut pisces, animaliaq; volatillia, aut quadrupedia, seu alias similes res, quę comeduntur non sedeant, nec fillum nectet, vel torqueant, aut pectinent, nec quiduis aliud faciant propter quod prædictæ res conspurcari, seu fedari possint, dum eas vendiderint, & si secus fecerint dent pro banno solidos nouem imperialium pro quolibet, & qualibet vice, & possit per quemlibet cum iuramento accusari.

De Venatoribus, & venationibus. Cap. 18.

QVicunq; præſumpſerit quouis tempore venari cum tremalio, parteria, manica, vel cum lumine, aut cum laqueis, & quaiarollo pro coturnicibus, vel perdicibus capiendis reſpectiuè, vel cum fretis pro capiendis cuniculis, ſeu cum baliſtis, aut ſclopis pro capiendis leporibus, alijsuè animalibus edulibus, det pro pena florenos quinq; pro quolibet vice & quicquid acceperit amittat, vel eſtimationem eius perſoluat, & eundem incurrat pænam, qui auſus fuerit venari, etiam cum canibus à Calendis Aprilis, vſq; ad Calendas Iulij, niſi quis voluerit canem aliquem magiſtrare, quod ei facere liceat in pratis tantum impune cum canibus vero à leporibus, & cum canibus à rete, & alijs ingenijs, ac animalibus exceptis prædictis, liceat cuilibet Ciui Aquenſi, & alijs perſonis cum Ciuitate Aquarum conuentionatis quocunq; alio tempore venari, & aucupari ſine pena; quilibet autem alius forenſis, qui quouis modo ſuper finibus dictæ Ciuitatis venatus, vel aucupatus fuerit, ſoluat pro banno florenos decem pro qualibet vice, vltra ammiſſionem rei, & ingenii, ac emendationem damni, ſi quod alicui dederit. Non poſſit tamen aliquis, ſiue Ciuis, ſiue forenſis uenari, nec aucupari in fundo alieno tempore meſſium, uel uindemiarum, nec in nemoribus Communis quouis tempore, ſub pena florenorum decem pro qualibet uice, & quolibet cane, ceterum teneantur uenationes uolentes uendere uenationem quam fecerint eam deferre, & uendere in platea archiuolti, cuicunq; uolenti emere iuſto pretio, & ſi uendere non poterunt, & uenalem tenuerint ad minus per unam diem liceat eiſdem eam defferre quocunq; uoluerint prout continetur in præcedentibus capitulis, teneantur inſuper dicti uenatores, & aucupatores ire uenatum, & aucupatum pro Communitate quoties fuerint per Sindicos requiſiti, & quicquid ceperint Communi uendere iuſto & honeſto pretio, ſub pena unius floreni pro quolibet contrafaciente, & qualibet uice, & priuationis uenandi, & aucupandi ipſo iure in perpetuum, poſſit autẽ unuſquiſq; de prædictis omnibus, & ſingulis cõtrafacientes accuſare cũ ſuo iuramẽto.

Quomodo diſtribuenda ſit beſtia capta pluribus venatoribus exiſtentibus. Cap. 19.

VLterius ut tollantur contentiones, & iurgia quæ plerunq; inter uenatores oriuntur, dum altercantur cuius nã eſſe debeat fera quam quis uenando acceperit, ſtatutũ eſt, quod qui capreolũ, leporẽ, uel aliud animal nõ ualde ferox cõmouerit & pſequutus fuerit, & aliud deinde ceperit dimidiã partẽ eius habeat, & altera dimidia ſit accipiẽtis, & ſi plures comouerint, & pſequuti fuerint, & unus uel plures occupauerint, diuidatur animal ĩ ſtirpes & ſi qui illud accepit partẽ pdictã comotori, & pſequẽti dare noluerit cadat

in

in pęnam vnius floreni, & medietas animalis si haberi poterit, iusdicenti detur, & alia medietas eius sit qui illud persequutus fuerit, quod si animal captum haberi non poterit, soluat qui occupauerit estimationem in duplum, quæ diuidatur vt supra, & insuper præstet pro pęna florenos duos Communi. Si vero quis cæperit aprum, vrsum, vel ceruum, aut aliud animal ferocius tam ipse quam quot quot illud persequuti fuerint, & simul concurrerint, atq; occupauerint partem eius virilem consequantur, & qui canes habuerint aptos venationi, & præsentes in captura animalis eis vsi fuerint, habeant pro vnoquoq; cane partem ac si canis vnus ipsorum venatorum esset; & qui animal interfecerit ultra partem suam interiora dicti animalis præcipuè habeat. Si autem canis animal occiderit dominus eius ultra partem suam, intestina animalis percipiat, & qui animal prius à faucibus canis seu à canibus abripuerit caput dumtaxat animalis ultra partem suam consequatur.

De Piscatoribus, & piscationibus. Cap. 20.

Liceat item unicuiq; Ciui Aquen. piscari in Burmida, & Medrico, & alio quocunq; torrente super finibus Aquarum, forensis uero qui cum Communitate Aquarum non fuerit conuentionatus piscari præsumpserit, det pro banno florenos quinq; pro qualibet vice, & pisces, ac retia, & quodlibet aliud instrumentum amittat, & quis quis Ciues pisces acceperit, & eos uendere uoluerit, teneatur illos in platea archiuolti portare, & uendere iusto pretio, nec aliò deferre possit nisi eos uenales habuerit ad minus per diem unam; ut in præcedentibus statutis dictum est, & si quis Ciuis, uel forensis pisces acceperit in aliqua conzeria sine licentia Domini eius, incurrat bannum florenorum quinque si id fecerit de die; si uero de nocte, det pro pęna florenos decem, & utroq; casu pisces restituat siue earum estimationem; si quis autem pisces acceperit in bergagijs, & nassis alicuius in Aquis prædictis existen. sine eius uoluntate de die, soluat pro pæna florenos duos, & de nocte quatuor, & pisces, uel eorum estimationem restituat ut supra æque; si quis acceperit, seu deuastauerit ingenia, uel instrumenta alicuius ultra restitutionem, seu estimationem eorum cadat in pænam florenorum decem, cæterum nemini liceat aliquam conzeriam facere in ripis Burmidæ, Medrici, nec alicuius torrentis super territorio Aquarum sine licentia illorum, quorum ripe, seu prædia fuerint sub pœna florenorum decem, liceat autem cuilibet Ciui Aquen. ibidem tenere pergagios, & nassas impune, qui tamen pergagiũ alicubi habuerit, non possit sequenti anno illud ibidem tenere sub pæna unius floreni, & contrafacientes in prædictis, possit unusquisq; cum suo iuramento accusare.

De his qui panem venalem faciunt. Cap. 21.

PAnifices, seu qui panem venalem facere voluerint, teneantur duplicem panem primarium, scilicet album, nitidumq; & deflorataæ farinæ, frugmenti nitidi, & puri, & secundarium, seu vt vulgo dicitur totius pastæ conficere, & continuo habere bene coctum, & bene qualificatum, iustiq; ponderis, nec vnum cum alio misceant, sed separatum teneant, & in loco publico. & qui aliter fecerit, det pro banno quartam partem panis, & prout dictum fuit supra in capitulo de officio extimatorum de minuto pro qualibet vice, & à quocunq; accusari possit nisi culpa Fornarij aliquid acciderit, quo casu Fornarius puniatur in eo quod commiserit vt infra dicetur; obseruent autem panem facientes contenta in capitulo de dacito panatariæ sub pæna in eo descripta.

De Furnarijs. Cap. 22.

FVrnariam artem exercentes, seu fornarij, & fornarie teneantur bene coquere cuicunq; volenti præterquam panatarij, quorum panes omnimodo bene, & sufficienter coquere teneantur etiam ipsis inuitis, & præponere semper daciterium panatariæ, & custodire bona fide, & diligenter panem, & cætera omnia, quæ ad furnum portantur & quæ ibi coquuntur, eaq; bene coquere, & aptare, & prospicere ne aliquid furto subtrahatur. Et qui contrafecerit soluat pro pena vnius floreni pro qualibet vice, & teneantur si quid fuerit amissum, vel combustum, vel male coctum illud emendare teneantur etiam fornarij habere tabulas longitudinis pedum quinq; trabucchi, & latitudinis octo vnciarum, nec eligi possint per emptores furnorum, nisi cum licentia Sindicorum, sub pena quinq; florenorum pro quolibet fornario, per ipsum fornarium soluenda vt cognosci possit, an sint bonæ vocis, & famæ, habeantq; tam ipsi, quam domini, seu daciterij furnorum libræ sex pastæ, inclusa libra pastæ pro qualibet cocta integra, & ad ratam, nisi quis vellet furnum integræ, etiam si non impleret illum, quo casu soluat pro cocta.

De Tabernarijs, & alijs vinum vendentibus. Cap. 23.

TAbernarij, & alij quicunq; vendentes vinum ad minutum, teneantur illud vendere, & mensurare ad bocalum, vel mensuram, quæ sit viginti octo vnciarum, habeantq; pintam integram. Itemq; bocalum, & quartam pintæ vendant autem uinum purum, & non limphatum seu aquaticum, nec Tabernarij panem conficiant nisi pro vsu suæ familiæ, pro forensibus vero teneantur eum emere à daciterio panatariæ, seu ab his, qui panem venalem fecerit. Et qui in aliquo prædictorũ contrafecerit

soluat

soluat pro pęna florenis quinq; pro qualibet vice, & possit per quemcunq; accusari, obseruent quoq; Tabernarij alia omnia, quæ sub capitulo de dacito Tabernæ continetur, nec si fuerit tempus belli, aut pestis aliquem forensem in hospitium recipiant sine bulleta, eorum qui deputati fuerint, sub pęna per consilium, vel Iusdicentem imponenda, teneanturq; quicquid diperditum, aut furto ablatum fuerit in hospicio emendare, si alicui de eorum familia maiori annis quatuordecim fuerit consignatum.

De portantibus vinum. Cap. 24.

Portatores vini non possint portare vinum, sine licentia daciterij vini, seu cebratus, sub pęna vnius floreni, pro quolibet, & qualibet vice, præterquam tempore vindemiarum, vsq; ad Calen. Nouembris, quo casu quilibet possit portare vinum dummodo dominus soluat dacitum daciterio, sub eadem pęna de licentia daciterij, quam quibuscunq; petentibus dare teneatur. Mensurent autem vinum iustæ, & suum vnicuiq; tribuant, teneantq; in portando baculos ferratos in manibus semper, & griphios in pedibus tempore glaciali, alioquin si vinum sine eis effunderint vltra damni emendationem, incurrant pęnam vnius floreni pro qualibet vice, habeant autem brentas, & cebros iustæ mensuræ, sub pęna imposita tenentibus iniusta pondera, & iniustas mensuras, & a quocumq; accusari possint si contrafecerint.

De Macellatoribus carnium. Cap. 25.

Firmetur omni anno macellarius vnus pro toto anno, qui continue tenere, & vendere teneatur carnes sufficientes, & abundantes ad vsum Ciuium, & habitantium Ciuitatis, pro pretio quo conuenerit cum dominis Sindicis, & dicta Communitate.

Item quod dictus macellarius non audeat, nec præsumat mactare aliquas carnes de nocte, & nisi fuerint bestiæ reuisæ per Extimatores uiuæ, & mortuæ, sub pęna florenorum duorum.

Item non possit ullo modo uendere aliquas carnes ouinas, uel mactare in macello, sub pena unius ducati pro qualibet oue, & qualibet uice. Item nec uendere aliquas carnes mortuas, uel morbosas, aut a lupis interfectas sub pæna unius ducati, & ammissionis carnium.

Item quod nequeant mactare tauros, uacas, arietes, hircos, capras, sues, femellas nō castratas, nec apros aniculos, non castratos, nec alibi mactatas, in macello uendere, sub pæna unius ducati pro qualibet pondere siue qualibet uice, qua de dictis carnibus ponderauerint ad uenden.

Item quod uituli per eos mactandi sint lactentes, & non a passono, quod si fuerint ad pasculandum, teneantur illorum carnes uendere pro carnibus a passono, & pro eodem pretio carnium a passono. Item

Item quod non possit mactare aliquos veruecos, siue castratos, nec mactatos vendere in dicto macello, nisi sint de veruecibus beriesij magnæ scalæ: Item quod omnes carnes, tam bouinæ, quam à passono, & vitellinę ac castratorum, porcorum, agnorum, ædorum per eum mactandæ extimari debeant per extimatores, & ipsæ pro prætio dando eas vendere, teneatur etiam si minus extimauerint, quam fuerint conuentum cum ipso macellario propter earum macriciam, aut aliam insufficientiam propter quã eis videatur equum illas minori pretio fore vendendas.

Item teneatur auferre de capitibus omnium bestiarum per eum mactandarum præterquam ædorum, & agnorum occiput, siue curpia, & totum os à fronte vsq; ad nares, & omnes dentes cum maxilla, pedes vitulorum, & veruecũ, & aliorũ animaliũ excoriare, & vngulis leuare, pedes autẽ bouũ, & carniũ à passono nõ possit vendere, sed dare cum interioribus pro tripa.

Item nullo modo possit, nec debeat auferre pinguedinem de rognonis bestiarum per eum mactandarum, præterquam de rognonatis bouis pinguis, & quod non præsumat addere pinguedines ad coperiendum rognonos, nec aliquid aliud, sub pelle applicare, vt appareat pinguiores, sed eas vendere prout sunt, sub pęna vnius ducati pro qualibet bestia.

Itẽ quod carnes à passono intelligantur, quod teneant dentes duos à lacte vt supra & non vltra, & ab inde supra teneatur stare extimationi dandæ per extimatores.

Item quod non possit macellarius vendere alicui, vel extraneo pinguedinem, seu adipem nisi pro condimentis, & dominis Molendinorum, & habentibus plaustra, siue baroccias respectiue, sed totam illam consumere, & conuertere in candelis pro vsu Ciuitatis, quas etiam vendere non præsumant alicui Forensi, sed tantum Ciuibus, & Aquis habitantibus, sub pęna vnius ducati pro quolibet, & qualibet vice.

Item quod nullus macellarius possit tenere macellum in domo in qua habitat, sed aliam apothecam habere alibi teneatur, & insuper dicta apotheca ponantur claues duæ diuersæ, quarum vna remaneat penes macellarium, & altera penes deputan. per Communitatem.

Item quod omni anno deputari debeat vnus per Consilium Ciuitatis, qui teneat clauem macelli, & teneat computũ totius adipis, seu pinguedinis conuertendæ in candelis, & scribere pecias, & pondera earum.

Item quod macellarius non audeat, nec præsumat in dicto macello acceptare, nec portare, aut portari facere, vel vendere, aut dispensare aliquas carnes alibi mortuas palam, vel oculte, sub pęna ducatorũ duorũ, & dandi carnes ipsas canibus, vel aliter eas dispensare arbitrio extimatorum

Item quod nequeat feces, seu stercora viscerum bestiarum per eum mactandarum, proijcere in vijs, nec locis publicis, sed alibi longe à vijs

publicis

publicis per quattuor trabuchos, sub pena solidorum decem pro qualibet vice, qua id fecerit, vel eas aufferre præmonitus fuerit, & non abstulerit.

De Dominis Mollendinorum, mollendinarijsq; & eorum asinarijs. Cap. 26.

DOmini Molendinorum superioris, Bagnolij, & Turris, teneant continuo nauem vnam respectiuè pro quolibet mollendino, cum qua viatores vltra, vel citra Burmida transferrantur, sub pena vnius floreni, teneantq; nautæ dictarum nauium transire, & transferre vltra, citraq; Burmidam omnes, & quoscumq; Ciues, & ibidem habitantes gratis iuxta antiquam consuetudinem, & statuta antiqua; Molendinarij verò omnium Molendinorum teneantur molere cuicunq; volenti præponendo tamen Ciuem forensi, nec possint molere statim post moleaturam mole nisi prius de suo scopellos duos frumenti moluerint sub pæna vnius floreni pro qualibet vice, & restitutionis damni dati si aliter fecerint; Asinarij autem eorum, teneantur conducere ad molendinum frumenta, & grana, cuiuscunq; volentis præponendo ciues forensibus, vt supra frumentaq; & victualia ad pensam Communis ponderari faciant tam inducendo, quam in reducendo, obseruentq; alia contenta supra in capitulo de officio suprastantis ponderibus grani, & farinæ sub pæna unius floreni pro qualibet vice, capiantq; molendinarij pro moltura à festo Natiuitatis Domini nostri Iesu Christi vsq; ad Natiuitatem S. Ioannis Baptistæ exclusiuè dimidiũ scopellum pro quolibet sextario, & à festo S. Ioannis Baptistæ vsq; ad festum Natiuitatis Domini nostri Iesu Christi scopellum vnum pro singulo stario quarumlibet victualium, ita quod farina tanta sit in pondere quantum erat granum detracta moltura ad rationem supradictam, & qui contrafecerit, incurrat pænam florenorum quinq; pro qualibet vice, & restituat domino farinæ duplum eius quod acceperit, seu quod deffecerit: & si quis arenam, vel aliquid aliud cum farina miscuerit, aut fraudem aliquam comisserit, vt farina ponderosior esset, soluat pro banno ducatum vnum pro qualibet vice, & damnum in duplum emendet domino. Habeant autem scopellos iustos, & signatos sub pæna contenta in capitulo de pæna tenentium iniusta pondera, & iniustas mensuras, & possit dominus grani, vel farinæ, vel quilibet alius accusare contrafacientes.

Quod liceat palos figere in ripis Burmidæ, quibus naues alligentur impune. cap. 28.

LIceat dictis Molendinarijs, nautibus, & cuilibet alij impune figere palos in ripis Burmidæ, quibus naues alligari possint, nec ualeant earũ Domini volentes figere vllo modo prohibere incidere autem arbores in ripis existentes sine licentia illius domini nullatenus eis liceat sed subijciatur pænæ statuti super hoc disponentis.

Quilibet

Quilibet ire posse ad naues crescente Burmida causa transeundi, sine pena. Cap. 28.

POssit quoq; vnusquisq; cum creuerit Burmida, sine pęna ire ad naues per predia vicina, & coherentia causa transeundi, dum tamen per eam partem incedat, qua minus damnum dominus prediorum inferatur.

De Textoribus, & Textricibus. Cap. 39.

TExtores, & textrices habeant orditoria quæ sint longitudinis brachiorum ut infra, & latitudinis mediocris, & pectines tellarum lini sint de centenarijs decemocto de tella canape subtilis centum quindecim, & de tella canape grosse de centum duodecim canauacij sint latitudinis paretes pro sachis sint latitudinis rasi vnius, & longitudinis brachiorum sex à tella, faciantq; tellam lini si fillum receperint pulchrum brachiorum sexdecim, & petiam telle canape subtilis brachiorum quindecim, & alterius canape brachiorum quatuordecim; capiant verò pro sua mercede pro singulo brachio telle lini grossos duos. Item pro quolibet brachio telle canape subtilis solidos quatuor. Item pro quolibet brachio telle canapæ grossæ solidos duos, & denarios sex pro quolibet brachio canauacij solidos pro qualibet parete brachiorum sex in longitudine, & rasi vnius in latitudine solidos tres pro quolibet brachio: Cęterum alia quæ ad faciendum tellam sunt necessaria præbeantur per eos, qui tellam confici requisiuerint. Qui in prædictis cōtra fecerit incidat in pęnam vnius floreni pro qualibet vice: Et possit dominus tellæ, & quilibet alius eum accusare, si quod autem furtum fecerint pęna furibus à statutis imposita plectantur.

De Sutoribus. Cap. 30.

SVtores teneantur à die quo pannum inciderint perfecisse indumentum, quod faciendum sumpserint infra dies decem. sub pęna vnius floreni qualibet vice. Et si vestimentum aliquod vastauerint omni remota exceptione illud statim emendent, vt si quid ab aliquo forensi, uel ignoto emerint, & alienum probatum fuerit incontinenti domino restituāt absq; pretio, & si restituere recusauerint iusdicens cogat eos restituere, & pęnam vnius floreni ab eis auferrat, si quid vero furto surripuerint locum habeat capitulum de furtis.

De Coctoribus, & venditoribus calcis. Cap. 31.

COctores, & venditores calcis teneantur dare rubos viginti quatuor calcis bene cocte, & nitide pro singulo modio, & qui fraudem aliquam fecerit incurrat bannum ducati vnius pro qualibet vice, & à quocunque valeat accusari, & si minus pondus dederit pęna contenta in statuto, si quis aliquem in pondere, vel mensura fraudauerit puniatur.

De vendentibus ligna. Cap. 32.

VEndentes ligna non ducent, nec portent ea vendenda in platea archiuolti, nec ibi vllo modo ea teneant, sed ea vendant, & teneant, & vendere teneantur vltra pontem Medrici, aut in platea S. Mariæ Rotondæ, sub pæna solidorum quinque pro quolibet contrafaciente, & qualibet vice, credaturq; cuicunq; qui aliquem contrafecisse accusauerit.

De Nutricibus Puerorum. Cap. 33.

QVæcunq; nutrix statim vt se pregnantem esse cognouerit, vel lac habere desierit infra quatuor dies patri, aut matri, filij, seu filiæ quem, seu quam lactauerit, aut alij personæ de his curam habenti, hoc non denuntiauerit in pæna sit vnius scuti, & eandem soluat pænam, quæ vno, & eodem tempore pluribus lac præbuerit sine licentia eius cuius est infans, possit autē de prędictis per quęcunq; cū iuramēto accusari.

De Contractibus Mulierum, & Minorum. Cap. 34.

COntractus donationis inter viuos Mulierum, & minorum vigintiquinque annis præsumantur fictitij, & simulati, & per dolum extorti si non fuerint facti coram iusdicente sedente pro tribunali, & aüctoritatem, decretumq; suum interposuerit, & cum præsentia duorum agnatorum proximiorum, & vbi agnati, nec cognati fuerint cum præsentia duorum viciniorum, aduertat autem iusdicens ne auctoritatem, & decretum alicui contractui interponat, nisi eum in vtilitatem mulieris, & minoris cedere cognouerit, & plenam causæ cognitionem adhibuerit ad minus per duos dies anteaquam ab eo decretum interponatur aliter decretum non valeat ipso iure, ceteri autem contractus mulierum maiorum vigintiquinq; annis valeant sine decreto iudicis dummodo consensus prox. dictus interueniat alias habeantur pro ficticijs, & simulatis.

Quod Ciuis non possit acquirere à forensi aliqua iura aduersus Ciuem. Cap. 35.

ALiquis Ciuis Aquen. non possit emere, nec aliquo quouis titulo acquirere aliqua iura ab aliquo forensi, seu extraneo aduersus alium Ciuē Aquen. & qui acquisiuerit nullo modo audiatur in iudicio, nec extra, sintq; iura ipsa nulla irrita, & cassa, & præterea incurrat pęnam ducatorum decem, excipiatur tamen, qui fideiussorio nomine debitum alicui forensi soluerit pro aliquo Ciue, quo casu possit à tali forensi contra dictum Ciuē, iura, uel rationes libere, & impune acquirere pręsenti statuto non obstante.

Quod forensis non possit tenere apothecam, nec banchum in Ciuitatem mercaturam exercendo. Cap. 36.

NVllus forensis, & qui non sit effectus Ciuis possit apothecam, vel banchum tenere, exercendo mercaturam in Ciuitate Aquarum sine licentia Consilij dictæ Ciuitatis, & nisi realiter soluerit communi, id quod conuenerit cum Sindicis, alias cadat in pęnam florenorum duorum pro

qualibet vice, & contra contrafacientem possit quilibet accusationem, seu denuntiationem porrigere.

De Nundinis. *cap.* 37.

Fiant nundinæ in Ciuitate Aquarum bis singulo anno uidelicet in festo Inuentionis S. Crucis mensis Maij, & in altero festo Exaltationis S. Crucis mensis Septembris per dies octo ante, & per dies octo post festa prædicta respectiuè, & possit quilibet uenire ad dictas nundinas ibiq; stare per tempus prædictum, & inde recedere secure, & libere cum persona, & rebus suis nisi fuerit proditor, uel inimicus Illustrissimi, & Excellentissimi DD. Marchionis, aut bannitus à Dominio Montisferrati, aut nisi fuerit inimicus Communis dictæ Ciuitatis, vel principalis debitor Communis, aut alicuius Ciuis Aquen. aut etiam dicti principalis debitoris filius, vel frater, qui pro Ciuili debito contracto, tempore quo simul cohabitabant possint detineri, & arrestari, etiam in prędictis nundinis.

De venditione in Agnatis, & consortes facienda. *cap.* 38.

Vbi contingat aliquam rem immobilem, siue rusticam, siue vrbanam in Ciuitate & districtu Aquarum per quempiam vendi possit proximior tantum in parentella, ceteris post eum sequentibus penitus exclusis, vel vicinus talis rei eandem rem ab emptore auocare per eodemmet pretio, quo vendita fuerit infra vnius anni, & diei spacium à rogitu talis venditionis, & non à die habitæ scientiæ numerandum, ita quod prædictus proximior præferatur vicino, & pluribus cum dicto proximiore in eodem gradu existente ille, qui peruenit, & hoc vendicet sibi locum in venditionibus simplicibus, & liberis, in venditionibus verò quæ fient cum termino recatandi annum, & dies incipiat à die finiti termini, ad recatandum & ista intelligantur inter præsentes absentes vero & minores habeant tempus duplicatum. Ita quod lapso biennio à die rogitus Instrumenti, & non habitæ scientiæ vtsupra, vlterius non audiantur.

De Alienatione rerum ciuitatis. *cap.* 39.

Non possit fieri alienatio, nec aliqua distractio rerum, & bonorum aciurium Communitatis Aquarum, maxime titulo lucratiuo, nisi pro aliqua vrgentissima, & necessarijssima causa, & nisi præcedentibus tribus consilijs, in quibus interuenerint ad minus duæ partes ex tribus Consiliariorum Consilij noui, & veteris, & si ordinatum, & obtentum fuerit, quod deueniatur ad alienationem fiat rei alienandæ, subhastatio per Nuntium Communis, in platea archiuolti per dies viginti continuos, & per spacium horæ ad minus singulo die, & postea delliberetur ei, qui meliorem conditionem Communitati fecerit, cum interuentu Iusdicentis sedentis pro tribunali, tempore deliberationis, & qui dictæ alienationi suum, & Communis dictæ Ciuitatis decretum interponat, & si aliter factum fuerit alienatio, & distractio ipso iure non valeat.

Quo-

Quomodo Dacita subhastari, & deliberari debeant. Cap. 40.

DAcita vero subhastari debeant in platea archiuolti à calendis Ianuarij, vsq; ad diem vigessimam eiusdem inclusiue, videlicet in diebus festiuis dumtaxat cum præsentia, & interuentu Sindicorum, Consulum, & Rationatorum deliberenturq; per supradictos per annum vnum dumtaxat cum presentia etiam Iusdicentis ibi sedentis pro tribunali ad lumen candellæ more solito ei qui extinta candella repertus fuerit meliorem conditionem Communitati attullisse, qui fideiubere teneatur statim per publicum Instrumentum, per Notarium Communis recipiendum erga Sindicos in aliquem Ciuem Aquensem idoneum, qui se principalem debitorem Communitatis constituat in forma, & cum debitis, & consuetis clausulis, & renuntijs, alias deliberatio non valeat, nullaq; sit ipso iure, & qui ausus fuit aliquod Dacitum licitare non prouiso de fideiussore eoq; non dato in termino dierum trium post deliberationem, cadat in pęnam vnius scuti simul cum omnibus damnis, & interesse per Communitatem patiendis, si villiori fictu illum dacitum deliberaretur, & alio quouis modo: Et si quis eorum, qui deputati, & electi fuerint ad subhastari faciendum, ac deliberandum dicta dacita voluerit ea licitare teneatur surgere, & se ab alijs retrahere per passos decem vt ab omnibus conspici, & videri possit, & postquam vocem emisserit ad locum suum reddeat, aliter non admittatur ad licitandum, & idem intelligatur de Notario, & alio Officiali Communis, & si quæ inter licitan. difficultas orta fuerit, stetur summarie determinationi prędictorũ Sindicorum, & aliorũ vt supra electorum, ac Iusdicentis, seu maioris partis eorum.

De Dacito panatariæ. Cap. 41.

DAciterius panatariæ exigere possit à quocunq; qui panem venalem fecerit, denarios triginta tres pro quolibet rubo panis seu pulchri, & nitidi, seu totius pastæ fuerit, & qui soluere reccusauerit, seu panem absq; dicta solutione vendiderit, soluat pro banno florenos quatuor pro qualibet vice, possitq; à dicto daciterio, vel alio quouis accusari, & similiter daciterius qui plus exigerit, eandem pœnam sustineat pro qualibet vice, & dupli eius, quod pluris acceperit restituat; teneantur autem panifices, seu panatarij postquam cęperint panem venalem facere toto illo anno nunquam cessare à confectione panis pro vsu Ciuium, & habitantium Aquis, & in Territorio Aquarũ, & etiam quorumcumq; emere volentium, & prout continetur in capitulo de his, qui panem venalẽ faciunt, f. 97 pro usu omnium egeentium panem, eumq; habere uenalẽ in loco publico, & aperto, sub pœna quinq; florenorum quoties contra fecerit,

& quilibet valeat accusare, & si frumentum non habuerint, teneatur Iusdicens ad cuiuslibet eorum instantiam cogere iuris remedijs omnes habentes frumentũ, & victualia ultra vsum suũ ad illa vendendũ pretio tunc communiter currenti in Ciuitate, cęterum liceat cuicumq; volenti panem venalem facere, dummodo soluat daciterio ad rationem prędictam etiam eo inuito, non possit tamen vendere panem, nisi fuerit ponderatus, seu bullatus per dictum Daciterium si voluerit, aut nisi cum eo concordauerit.

De Dacito Cocie. *Cap.* 42.

QVicumq; forensis, qui vendere voluerit frumentum, & quælibet alia victualia præter risum, debeat ea exonerare in platea archiuolti, & statim soluere Daciterio Cocie, cociam vnam pro qualibet salma stariorũ octo mensuræ Aquen. alias amittat victualia pro quibus non soluerit, quę Communi applicentur, & si alibi exonerauerit, quam in platea archiuolti, nisi facta notitia Daciterio, & de eius expressa licentia, & consensu, incurrat pęnam ammissionis dimidiæ dicti frumenti, & frugum, seu victualiũ pro qualibet vice, & eandem subeat pęnam quicunq; ea in domo, vel apotheca receperit, priusquam in dicta platea exonerata, & consignata fuerit, vel cum Daciterio fuerit concordatum, postquam vero cocia semel soluta fuerit, teneatur forensis, qui aliqua victualia emerit, & ea vendere voluerit denuo cociam soluere, nisi effectus fuerit Ciuis, aut Aquis per annos triginta habitauerit, & quilibet possit contrafacientem accusare.

De Dacito libre Pastæ. *cap.* 43.

DAciterius libræ pastæ habeat libram vnam pastæ pro qualibet furnata panis integra, & ad ratam pro qualibet tabula, & qui contrafecerit soluat pro qualibet vice, & pro quolibet contrafaciente solidos decem, & soluatur per quoscumq; tam ciues, & habitantes in Ciuitate, quam in territorio, & capsinatis Ciuitatis Aquarum.

De Dacito Tabernæ. *cap.* 44.

Quisquis vinum ad minutum vendiderit, siue forensi, siue Ciui soluat Daciterio Tabernæ solidos quinquaginta pro quolibet conzio vini, & si contrafecerit incurrat pœnam florenorum trium pro qualibet vice possit autem dictus Daciterius cogere, seu cogi facere oẽs vendentes vinũ ad minutũ ad sibi cõsignandũ uinũ, quod vendere voluerint priusquã illud vendant & qui consignare recusauerit det pro banno florenos tres, pro qualibet uice, facta consignatione teneatur statim soluere ad rationem prædictã, & si contigerit Dacitari uegetem unam uini, teneatur Dacitari faciens

incontinenti soluere daciterio pro tota vegete sub pœna florenorum triũ pro conzio, possitq; daciterius vegetes sigillare, & signare prout ei libuerit, non liceat autem ei baculare vinum nisi de mense in mensem, possit tamen die, noctuq; vsq; ad horam vnam noctis à calendis Maij vsq; ad & per totum mensem Septembris, & vsq; ad horas duas noctis à calendis Octobris vsq; ad & per totum mensem Februarij assistere, & prouidere ne hospites, & eius familia fraudem aliquam committant; teneatur item dictus daciterius uinum dacitare ad requisitionem cuiuscunq; uolentis uinum uendere, & si facta requisitione dacitare noluerit, possit qui requisiuerit impune uendere; cæterum credatur iuramento daciterij contra eos quos in prædictis contrafecisse accusauerit.

De Dacito cebri, seu cebratus. *Cap. 45.*

SI quis emerit vinum in quantitate, & ut uulgo dicitur, in grosso, & non ad minutum siue Ciuis siue forensis habitans in Ciuitate, teneatur mensurari facere ad cebrum Comunis, & facta mensura statim soluere daciterio cebri denarios decem imperialium pro qualibet brenta, sub pœna unius floreni pro qualibet uice, qua in prædictis contrafecerit, & ad prædictam solutionem teneatur siue uinum fuerit mensuratum ad cebrum Comunis siue non, stetur q; iuramento daciterij prædicti contra contrafacientes, à forensi uero capi non possint nisi solidi tres tantum pro qualibet brenta sub dicta pœna, cui dictus daciterius uinum emptum mensurare teneatur, & qui uinum aliquid capere non possit quando mensurabit sub pœna prædicta, & contrafacientem quilibet accusare possit ut supra.

De Dacito becharie, seu Macelli. *Cap. 46.*

QVilibet qui carnes macellauerit nisi daciterio becharie, seu macelli soluerit pro quolibet boue testonum unum l. 3. ss 6. imperial. pro quolibet manzio solidos triginta, pro quolibet uitulo solidos decem octo, pro quolibet castrato solidos nouem, pro quolibet agno, & capreto solidos sex, pro quolibet porco solidos decemocto, & similiter solidos decemocto pro qualibet oue, & qualibet capra, incidat in pœnam florenorum quatuor pro qualibet uice, & fides præstetur daciterio si eum accusauerit, ab huiusmodi autem solutione sint exempti Ciues, & habitantes pro bestijs, quas ipsi educauerint in domo, & pro eorum usu tantum.

De Dacito Fenestre, seu Retallij. Cap. 47.

VEndentes ad minutum oleum oliue, oleum ardendum, pisces recentes, & salsos toninam, anclutas, candellas, sepis, exceptis beccarijs, candellas ceræ, ceram laboratam, & non laboratam, & mel præter Aromatarios, caseum salsum, caseum hyporegie, caseum nostratum pinguem, carnes salsas nostrates, & songiam, nisi quis in domo sua eam nutrisset, & fecisset, carnes salsas, sardiscas, risum, paniciam, salciciam, ceruellatum, & farcimen, canellam, zinziberum, piper, species dulces, & fortes exceptis aromatarijs Aquen. teneantur dictas res in scriptis consignare daciterio fenestræ, seu retalij, priusquam eas vendere incipiant sub pæna vnius floreni pro quolibet, & qualibet vice, & dicto daciterio soluere prout infra aut cum eo se concordasse sub pæna prædicta, pro quolibet rubo olei oliue, vel alterius olei, ss. 3. d. 4. pro quolibet rubo cuiuscunq; casei ss. 2. pro quolibet rubo carnis porcinæ salse ss. 2. pro quolibet rubo butiri, & mascharpæ ss. 1. pro quolibet barrillo ingluttarum, & sardenarum ss. 10. pro carratello tonine pro rubo piscis cocti ss. 4. d. 6. pro rubo piscis recentis ss. 3. pro quolibet rubo candellarum sepis ss. 3. pro qualibet lib. d. 1. e mezo.

Et qui emerit aliquid de prædictis rebus à franchis, teneantur soluere dacitum pro eis sub prædicta pæna, nisi sit Ciuis, vel habitans qui emerit cæterum quicunq; intra terminum proclamatis parte iusdicentis noluerit de dictis rebus vendere, nec se concordare vt supra non possit illo anno aliquid de prædictis rebus vendere sub pæna librarum trium imperialium pro quolibet, & qualibet vice, & contrafacientes possit idem daciterius, & quilibet alius accusare.

De Dacito rasparie. Cap. 48.

QVicunq; aliquem fraudauerit in pondere, vel mensura, vel in extimo amittat rem, quæ detur rasperio, seu daciterio rasparie, & tantundem præstet emptori, quem fraudauerit, seu fraudare voluerit vltra pænam contentam in capitulo si quis aliquem in pondere, vel mensura fraudauerit, & in capitulo de pæna vendentis vltra estimum: possit autem Rasperius quemlibet contrafacientem accusare, & ei credatur cum iuramento.

De Dacito Brachij, & Scandalij. Cap. 49.

VEnditor mercium spectantium ad pondus, & mensuram, teneatur eas ponderare, vel mensurare respectiue, seu ponderari, & mensurari facere ad scandalium, vel brachium Communis, & soluere Daciterio dicti scandalij, denarios duos Imperialium pro quolibet rubo, & totidem soluat emptor, Calderarij quoq; & Claputij, soluant dicto Daciterio pro quolibet rubo rami, quod vendent, seu permutabunt ad ratam prædictam, excipiantur autem fęnum, palea, calx, ligna, lapides, sal, panis, farina, granum, carnes recentes, quæ venduntur ad macellum stragmen, seu ramenta, & bestiæ quæ moriuntur lupino morsu, vel diuino iudicio, necnon, & carnes salsæ, & sonziæ, quæ nutrissent in domo illi de Aquis, & ibi habitantes pro quibus omnibus, & singulis nihil soluatur franchi quoque nihil soluant. Item quicunq; vendens, & emens telas, siue in grosso, siue ad minutum exceptis Ciuibus Aquensis, & franchis & habitantibus, soluat dicto Daciterio scandalij, & brachij, pro quolibet brachio telle denarios duos Imperialium, & tantumdem emptor, idemq; intelligatur de vendente, & emente pannum arbosium ab aliquo forense, vel Ciue, qui vero emerit peciam integram tele, siue mensurauerit, siue non, soluat pro qualibet pecia solidos duos, tam emptor, quam venditor. Item de qualibet torta lini, soluatur per emptorem, & venditorem ſs. 8. d. 4. Et de quolibet macio vendito ad minutum, soluat d. 2. emptor, & tantumdem per venditorem. Item quælibet persona vendens lanam, & burram, teneatur soluere pro quolibet rubo solidos tres, & tantumdem ad ratam pro rata. Item quælibet textor, & textrix habitans Aquis, & faciens telam forensibus soluat pro quolibet brachio tele, quam fecerit denarios tres, quos nisi de proprio soluere voluerit, possit exigere à forense & qui contrafecerit incurrat pęnam solidorum decem pro qualibet vice, possitq; per dictum Daciterium cum suo iuramento accusari.

De Daciterio Communis. Cap. 50.

DAciterius Communis cum banna subhastata, & deliberata, nec in Communi retenta fuerint habeat eam partem bannorum, siue Campestrium, siue aliorum, ac pęnarum, datarumq; Ciuilium causarum quam haberet Communitas iuxta distinctionem superius appositam in Capitulo de Bannis in specie taxatis, & in fine ipsius Capituli.

Quomodo banna & pęnę debeant distribui, *Cap. 51.*

OMnium pœnarum, quæ Communi applicantur vbi interuenerit accusator, seu denuntiator cuius dicto ex dispositione alicuius statuti sit standum tertia pars sit Communis, tertia iusdicentis, tertia accusatoris, vbi vero Iudex ex officio, & per inquisitionem procedat, & opus sit probationibus, tertia sit iusdicentis, & duę tertiæ Communis nisi speciali aliquo statuto aliter caueatur.

Quæ pœnæ Communi applicentur, *Cap. 52.*

APplicantur autem Communi pœnę omnes exceptis pœnis bannorum infrascriptorum, videlicet homicidij, robariæ, incendij, furtorum proditionis, falsi comissi periuriorum, & ferutarum, quæ banna sunt Illustrissimi D. Marchionis: cætere autem omnes pęnæ cuiuluis delicti, seu banni sunt Communis vigore conuentionum inter præfatum Illustrissimum D. Marchionem, & dictum Commune innitarum, & in fine præsentium reformationum descriptarum,

Quod pœnæ capiantur secundum statuta Aquensia *Cap. 53.*

QVin etiam omnes pęnę siue præfato Illustrissimi D. Marchioni, siue Communi Aquarum applicentur, capi debent secundum formam statutorum, & ordinamentorum dictæ Ciuitatis factorum, & faciendorum prout in dictis conuentionibus cõtinetur, quæ statutũ est debere obseruari.

Quod omnes pœnæ soluantur in pecunia numerata currenti per tempora, *Cap. 54*

SOluantur autem omnes pęnæ pro quouis delicto, seu banno, aut pro quauis inobedientia, seu contrafactione in pecunia numerata tantũ, & secundum monetam currentem per tempora in Ciuitate Aquarum, & ita intelligantur omnia, & singula statuta suprascripta.

FINIS LIBRI QVARTI.

STATVTORVM

CIVITATIS AQVARVM.

LIBER QVINTVS, ET VLTIMVS.

Qui varia statuta comprehendit.

PROEMIVM.

VARIA statuta, quæ in præcedentibus libris collocata non fuerunt; hoc quinto, & vltimo libro inferuntur.

Quomodo quis recipi debeat in Ciuem. *Cap. 1.*



QVisquis optauerit effici, & creari Ciuis Ciuitatis Aquarum nonrecipiatur nisi de voluntate duarum partium ex tribus Consilij noui, & veteris, & in publico Consilio coram iusdicente, & nisi Communi soluerit scuta vigintiquinq; in quibus tamen possit prædictum Consilium disponere vsq; ad scuta sex, & non infra attenta qualitate personarum, & quicunq; receptus fuerit in Ciuem debeat statim iurare in manibus iusdicentis, quod erit fidelis Communi Aquarum, & quod nihil machinabit, nec machinari consentiet contra personas, honorem, & statutum dicti Communis Aquarum, & quod iusdicenti Aquarum parebit & omnia onera supportabit pro sua portione, quæ sustinebũt, & sustinere debebunt Ciues originarij, alioquin ciuilitas ei cõcessa sit nulla ipso iure.

Quomodo Ciuis gaudere possit priuilegijs ciuium. *cap. 2.*

ASsumpti autem in Ciues si quidem immobilia in territorio Aquarum possidebunt, non gaudeant priuilegijs Ciuium nisi sustineant omnia onera in Ciuitate Aquarum etiam quod ibi non habitarent, quæ Ciues originarij ibi habitantes sustinebunt pro rata ipsorum; si autem immobilia ibi non possidebunt, non possint frui priuilegijs, immunitatibus, & exemptionibus Ciuium nisi ipsi in Ciuitate prædicta habitauerint, aut eius familia ad minus per sex menses continuos quolibet anno, originarij verò Ciues, siue habitauerint in Ciuitate, siue non, & siue bona immobi-

lia

lia ibidem possederint siue non, priuilegia Ciuium semper retineant, ac eis fruantur pro rebus, & bonis suis tantū ac si continuò in Ciuitate habitarēt.

Quod omnia prædia Aquensia sint tributaria ciuitatis Aquarum. cap. 3.

OMnia prædia rustica, & vrbana Ciuium Aquensium, aut Aquis habitantium sint, & esse intelligantur tributaria Communi Ciuitatis Aquarum eiq; obnoxia, & obligata pro oneribus ordinarijs, vel extraordinarijs, & alijs quibuscumq; & quouis nomine vocentur preuisis, & non preuisis, cogitatisq; vel non cogitatis in specie, vel in genere, & tam impositis, quam imponendis à quocunq; & qualitercunq; ita quod omnia onera prædicta sint, & intelligantur esse realia, & perpetuò annexa oneribus prædictis, & transeant in quamcumq; personam, commune, Collegium in quam, seu quod peruenerint, sequanturq; quemcumq; successorem singularem, vel vniuersalem quocumq; contractu, vel causa inter viuos, vel vltima voluntate cum dicto onere, & ita, & taliter, quod nullus successor possit quouis modo se à dictis oneribus excusare.

Quod forensis, qui Aquas habitatum venerit, ponatur in solidos viginti registri. Cap. 4.

QVicumq; forensis, qui venerit habitatum Aquis, etiam si in Ciuem receptus fuerit etiam si nulla bona immobilia in territorio dictæ Ciuitatis possederit, ponatur in solidis viginti registri, nec possit ibi habitare, nisi sustineat omnia onera ordinaria, & extraordinaria, & alia quæcunq; & quibuscunq; nominibus appellentur pro dictis solidis viginti, prout sustineret, & sustinere deberet si esset Ciuis, & haberet immobilia ascendentia ad solidos viginti registri, nihilq; ei diminuatur de dicto extimo, nisi in dicta Ciuitate, & eius Territorio acquisiuerit, tot bona ascendentia ad solidos decem registri inclusiue, tunc ei diffalcari debeant solidi decem de dictis solidis viginti fictis, ita quod computatis solidis fictis, & veris adhuc remaneat in solidis viginti quousq; pro alijs solidis decem veris acquisiuerit, & fuerit in solidis viginti veris registri.

De Fratribus Minoribus S. Francisci. Cap. 5.

QVod Fratres Minores Sancti Francisci, habeantur in honore, & reuerentia solitis, dummodo ipsis Religiose, & Christianæ viuant, vt decet, & in Ecclesia sua missas, & alia Diuina Officia iuxta ritum Sanctæ Matris Ecclesiæ Romanæ celebrent, ac tempore Aduentus, & in Quadragessima

gessima prædicent, & diuinum Eloquium Populo annuncient, & quod Communitas omni anno pro elemosina, & amore Dei eisdem fratribus emere, traddereq; teneantur vnam capam pro Predicatore.

Quod nullus possit vendere aliquas proprietates inter confinia Ciuitatis, & aliorum locorum. Cap. 6.

QVod nullus Ciuis, vel habitans in Ciuitate Aquen. possit vendere, donare, legare, permutare, aut quouismodo alienare in aliquem forensem, aliquam rem immobilem existentem in confinibus Ciuitatis ad fines aliorum locorum, & nemo forensis, & Aquis non habitans non possit vllo vnquam tempore aliquam rem immobilem intra confinia prædicta, titulo oneroso, vel lucratiuo acquirere sub pęna ammissionis rei ipso iure, & facto applicande errario Communis, & si aliquis forensis, & Aquis non habitans aliquam rem inter confinia prædicta per viam legati, aut successionis, siue ex testamento, vel ab intestato, aut etiam ex causa onerosa, vel lucratiua vt supra acquisiuerit, teneatur illam vendere vicino de Aquis, vel habitanti, aut cuiuis alij emere volenti, pretio quo extimata fuerit per extimatores Communis, alias penam vt supra limitatam incurrat.

Quod vicinus compellatur emere proprietatem vicinam pro qua nemo soluit taleas, & onera. Cap. 7.

ET quia sepissime contingit, quod vel per obitum possidentium proprietates, vel propter neglectã culturã earũ proprietates remanẽt inculte, & inutiles, & Cõmunitas afficitur iactura, & ponuntur inter malas pagas cùm nemo per eis soluat taleas, & onera, statutum est, quod Clauarius, qui pro tempore fuerit tales proprietates de licentia Iusdicentis subhastari, & deliberari faciat eo pretio quod reperiri poterit, vt vbi nullus reperiatur emptor, quod iusdicens possit, & teneatur ad instantiam Clauarij, vel Sindicorum compellere vicinos ad tales proprietates emendum, & illarum pretium soluen. facta prius extimatione per extimatores, & si fuerit extimata quatuor emptor inuitus soluere compellatur solummodo tres, & eã ad suũ registrũ describi facere pro ea parte, quæ vendenda erit secundum tẽporis exigentiam mulcta indicta, & pignoribus captis.

De filia Dotata. Cap. 8.

MVltiplicibus litium occasionibus, quibus Ciuium substantiæ consumuntur obuiare volentes statutum, & ordinatum fuit, quod si aliqua filia, vel filiæ, nupta, vel nuptæ, dotata, vel dotatæ, maritata

vel

vel maritatæ fuerint à Patre, vel à Matre. vel ab vtroq; parente simul ipsis parentibus defunctis nullum amplius habeat, vel habere possit regressū ad bona paterna. nec materna, nec ad petitionem hæreditatis paternæ, nec maternæ contra fratres, aut ipsorum filios legitimos, & naturales, volentes quod bona intelligantur paterna, quamdiu superfuerint aliquis fratrum, aut alicuius eorum filij legitimi, & naturales, sed dotibus ipsis sint tacite, & contente cuiuscunq; qualitatis, & quantitatis extiterint modo non fraudentur in legitima, nisi parentes ipsi vltra dotes constitutas aliquid voluerint eidem filiæ, vel eisdem filiabus in testamentis vltimis voluntatibus, aut aliter aliud legare, relinquere, & ordinare quia illico in tempore per eos limitato habere, & percipere possint, & debeant festinanter.

De Dote lucranda, & restituenda. *Cap. 9.*

ITem statuerunt quod decedente vxore cum liberis ex eo matrimonio maritus gaudere, & frui possit, & debeat durante ipsius vita integris dotibus siue exactis siue non, & postea sequuta ipsius mariti morte dotes ipse spectent, & pertineant filijs ipsis, & idem intelligatur statutum si decederet vxor cum filijs ex alio matrimonio, & etiam quod decederet cum filijs ex eo. & ex alio matrimonio simul; si uero sine aliquibus filijs ex ipso, vel ex alio matrimonio procreatis decederet vxor viro superstite statuerunt quod maritus habeat vsum fructum ipsarum dotium in vita sua, & sequuta morte hæredes viri lucrentur dimidiam ex persona mariti. alteram verò dimidiam restituere teneantur hæredes marito hæredibus vxoris, & ista etiam omnia intelligantur etiam in vxore solum desponsata, & nundum traducta ad domum viri; si vero vxor sit forensis nupta alicui Ciui, seu habitanti Aquis, quia pro maiori parte extra dictam Ciuitatem, seruatur decretum marchionale, quod maritus, & eius hæredes lucrentur totam dotem, & sic quandoq; fuit seruatum contra mulieres de dicta Ciuitate foris nuptas, & seu eius hæredes statuerunt, & ordinauerunt quod decedente tali vxore forense in Ciuitate nupta vtsup. absq; liberis, tam maritus, quam eius hæredes lucrentur totam dotem, & non teneantur ad restitutionem alicuius partis illius. Et in omnibus casibus suprascriptis, vbi sit facienda dotis restitutio voluerunt, quod illa sequuta morte vxoris, & viri fiat restitutio per hæredes viri in illis terminis, seu paghis, modisq; & formis prout facta fuit per dictam vxorem, seu illam dotantem solutio ipsarum dotium, ita quod dilatio temporis cedat cum modo hæredum restituere tenentium.

De conficiendis duobus libris Communis. *Cap 10.*

FIat liber vnus, qui appelletur liber rationum Communis in quo singulo anno describantur ordinarium Illustrissimi D. Marchionis salarium

Domini

Domini Prætoris seu Iusdicentis rationes Clauariorum,& credita omniũ Creditorum Ciuitatis Aquarum, & debita omnium debitorum vz. data & recepta, sigillatim cum causis, & temporibus, fiat autem alius liber in quo describantur per Notarium Communis omnia instrumenta, & scripturæ Communis Aquarum, ac omnes Conuentiones, & priuilegia ipsius.

De Libro Statutorum veterum custodiendo. Cap. 11.

CVstodiatur in Archiuio publico, liber Statutorum veterum, vt nihil antiquitatis ignoretur, & vt eis stetur in his quæ in præsentibus Reformationibus decisa, & contraria ipsis non fuerint, in his vero quæ in præsentibus Reformationibus reperiuntur reformata, & compræhensa intelligatur, & sit ipso iure dictis Statutis veteribus derrogatum.

De retinendo libro vno Decretorum Marchionalium in archiuio publico. Cap. 12.

REtineatur quoque in dicto archiuio liber vnus Decretorum Marchionalium, quæ nunc reperiuntur impressa vt cum in his Reformationibus ad ea habita fuerit relatio videri possint, nec si denuo illa imprimi contingat alicui dubitationi sit locus.

Quod appellatione Ciuitatis etiam Burgi contineantur. Cap 13.

ET si in suprascriptis Statutis plerumq; fit mentio Ciuitatis Aquarum, & nihil d citur de Burgis, quia ipsam Ciuitatem faciunt tamen statutum est ad tollendum dubietates. Si quæ fierent, quod appellatione Ciuitatis etiam Burgi comprahendantur, nisi aliquod statutum repugnauerit.

De successione Agnatorum descendentium, & transuersalium. Cap. 14.

QVoniam experientia docuit multas orirı lites propter successionem defunctorum, reliquentium in eodem gradu succedendi masculos & fęminas, cupientes DD. Consiliares prouidere quibuscumq; litibus futuris, & conseruationi agnatorum, post longam negocij consultationem, & re maturata cum Mag. DD. Doct. Ciuitatis. Corrigentes, seu reformantes, vel reuocantes quodcumq; statutum contrarium, seu quamcumq; contrariam dispositionem auctoritate qua funguntur vnanimes, & concordes, statuerunt, & ordinauerunt, statuuntq; & ordinant, quod quocũnq; decedente Ciue, siue extraneo, bona tamen possidente in Territorio Aquen. intestato, vel intestabili qualitercumq; relictis in pari gradu succedendi masculo, & fęmina, agnatis, siue descendentibus, siue transuersalibus, quod in successione huiusmodi sic decedentis, pręferatur masculus fęminæ, & ipsa fęmina, quando habuerit masculum in paritate gradus succedendi, & nõ alias, remaneat penitus exclusa, sic tamẽ quod congruẽter dotetur, uel si habuerit aliunde dotem non congruam, dos augeatur congruenter arbitrio boni uiri secundum qualitatem, & facultatem decedentis, & quod dotatio minor non sit legitima que deberetur fęminæ quando esset descendẽs primi gradus ipsius sic decedẽtis, quod statutũ intelligatur

procedere, vbi successuri, vel successurus sit Ciuis Aquen. vel ibi habitans.

Ego Antonius Piper sic posse statui pro bono publico existimo.
Ego Dionisius Scassus in eamdem concurro sententiam, & pro fide &c.
Ego Guido Antonius Rubellinus, cum suprascriptis Dominis Iur. Conf. electus sic censeo posse statui pro bono publico.
Ego Clemens Thea concurro cum opinione suprascriptorum DD. Doctorum electorū.
Ego Henricus Camerinus, sentio sic statui posse pro bono publico.
Ego Carolus Auellanus sic posse statui pro bono publico existimo.
Ego Ferdinandus ab Ecclesia pro publica vtilitate sic statuendum censeo.

De oblatione facienda agnato, & vicinis rei vendendæ. Cap. 15.

VT tollantur occasiones litium, quæ in dies oriri, & fieri videntur, occasione retractus concessi ex statuto, & seu simulationes contractuum, qui fiunt, ad euitandam dispositionem ipsius statuti, non sine animarum, & facultatum dispendio, Domini Consiliares, auctoritate qua funguntur re sæpius in Consilio discussa, & habito voto Magnificorum DD. Iur. Conf. Ciuitatis præsenti perpetuo statuto, ordinauerunt, & statuerūt, ordinantq; & statuunt, quod de cetero, si contingerit aliquem velle vendere rem immobilem existentē in Ciuitate, uel Territorio illius, quod teneatur offerre in scriptis iudicis auctoritate, rē sic pereū vendendā, siue vrbanā, siue rusticā, proximiori eius agnato, & vicinis rei sic vendendæ, eodē pretio pactis, & cōuentionibus, quibus alteri vendere voluerit, statuto termino ipsi agnato, & vicinis dierum quinquaginta ad deliberandum, & pretium soluendum, ita quod agnatus, vicinis præferatur, & inter vicinos, magis vicinus, ratione maioris proprietatis, quo termino elapso, liceat vendere, volenti rem ipsam vendere, cui voluerit, pretio, pactis, & conuentionibus oblatis. nec competat ius agnato, nec vicinis rem illam retrahendi, dummodo tamen fraus non interfuerit, quo casu semper competat ius agnato, & consortibus, detecta fraude gaudendi beneficio antiqui statuti, non obstante quocunq; in contrarium disponente.


Ego Antonius Piper sic posse statui pro bono publico existimo.
Ego Dionisius Scassus, in eandem concurro sententiam, & pro fide &c.
Ego Guido Antonius Rubellinus cum suprascriptis Dominis Iur. Conf. electus sic censeo posse statui pro bono publico.
Ego Clemens Thea concurro cum opinione suprascriptorum DD. Doctorū electorum.
Ego Henricus Camerinus sentio sic statui posse pro bono publico.
Ego Carolus Auellanus sic posse statui pro bono publico existimo.
Ego Ferdinandus ab Ecclesia pro publica vtilitate sic statuendum censeo.

Quod Statuta Aquensia intelligantur ad litteram. Cap. 16.

OMnia, & singula suprascripta statuta intelligantur ad litteram, & prout iacent aliqua interpretatione Doctorum Iuris Ciuilis, & Canonici non obstante.

Expliciunt Statuta Ciuitatis Aquarum; & sequuntur Conuentiones Ciuitatis prædictæ cum Illustrissimo D. Marchioni Montisferrati inite.

CONVENTIONES INTER ILLVSTRISS. D. D. MARCHIONEM, & Vniuersitatem Ciuitatis Aquarum.



ANNO Domini Millesimo, ducentesimo, septuagesimo octauo, Indictione sexta, die Lune secunda mensis Madij, in Montecaluo, super Lobia Palatij Castri Montiscalui, post nonam præsentibus Dominis Oberto Cane de Guaschis, Ruffino de Puthco, Dulio Gambarino, & Gulielmo Carmullio Ambasciatoribus Communis Alexandriæ, DD. Iuliano de Cremona, & Gualla de S. Germano Ambasciatoribus communis Vercellarum, & Armando Sburlato, testibus vocatis, & rogatis.

Hæc sunt Conuentiones, pacta, promissiones, obligationes, remissiones, absolutiones, & iuramenta, inter Egregium Virum Dominum GVLIELMVM Marchionem Montisferrati, pro se suisq; hominibus, subditis, & Vassallis ex vna parte, & dominos Andream D. Bellingerij, & Rachanum Sindicos Communis Aquis nomine dicti Communis pro se, & omnibus Ciuibus Districtualibus, & Vassallis dicti Communis ex altera cuius sunt Sindici constituti, vt apparet per publicum Instrumentum scriptum per me Gulielmum Ghignonum Notarium Infrascriptum hoc eodem anno, & eadem Indictione die vero prima Aprilis in Ciuitate Aquis vz. in domo Domini Iunderie facta, & facta, promisse, & promissa, firmate, & firmata inter prædictum Marchionem ex vna parte, & dictos Sindicos nomine dicti Communis ex altera super pace, & concordia facienda inter prædictum D. Marchioné ex vna parte, & dictos Sindicos nomine dicti Communis ex altera super pace, & concordia facienda inter prædictum D. Marchionem, & dictos Sindicos nomine dicti Communis.

In primis, quod homines Aquis faciant prædicto D. Marchioni fidelitatem gentilem, pacem, & guerram, exercitum, & caualcatas contra omnes personas, loca, & vniuersitates hoc expresse in dicto, quod dictus D. Marchio non possit, nec debeat alicui personæ Ciuitati, vel Vniuersitati infeudare, vendere, donare, obligare, seu aliquo titulo donationis, qui dici, vel excogitari possit in aliquem transferre Ciuitatem Aquen. siue Castrum Ciuitatis eiusdem, nec iura ad Ciuitatem pertinentia, nisi fuerit de voluntate Communis Aquis, quantum est in facto Veraginis.

Item quod fiat pax, & remissio inter dictum dominum Marchionem, & suos sequaces subditos, & vassallos, & homines ex vna parte, & commune, & homines Aquis, & districtus ex altera de omnibus damnis offensionibus, iniurijs, præsalijs, & robarijs hinc inde datis, seu factis, vsq; ad hodiernum diem realiter, & personaliter, communiter, seu diuisim quocunq; modo facta fuissent, etiam quod prædictus D. Marchio faciat pacem, finem, & remissionem Communi Aquis, & cuilibet singulari personæ de Aquis, de omnibus offensionibus, & iniurijs factis ipsi D. Marchioni, vel Domino Remerio Bastardo, vel eorum Nuncijs per Commune Aquis, vel per aliquas singulares personas de Aquis, & quod reddat, & restituat communi Aquis, & cuilibet singulari personæ de Aquis suam gratiam, & bonam volunratem, & illud idem teneatur facere fieri à filijs q. D. Raimerij Bastardi, Communi, & hominibus Aquis & cuilibet singulari personæ de Aquis.

Item quod dictus Dominus Marchio toto suo posse cum effectu per se, & omnes suos subditos, vassallos, & sequaces teneatur, & debeat modis omnibus iuuare, manutenere, & conseruare, & deffendere Commune, & homines de Aquis, & districtus, & omnia Iura, & honorem ipsius Communis, & cuiuslibet ex Ciuibus dictæ Ciuitatis Aquis contra omnia Loca Ciuitates, Vniuersitates, & personas contra quæ, seu quas Commune, & homines Aquis habent, seu habebunt, vel habere possent aliquam guerram, & facere per se, & omnes suos subditos, & sequaces viuam, & continuam, & perpetuam guerram omnibus, & singulis Locis, Communitatibus, seu personis cum quibus, seu contra quas, & quæ Commune, & homines de Aquis habent, seu habebunt aliquo modo aliquam guerram, & inde non facere aliquam pacem, treguam, seu guerram tetenta nisi de voluntate expressa Communis Aquis.

Itẽ quod præd. D. Marchio, vel eius nuncij nõ debeãt extrahere aliquos obsides, vel aliquẽ

hominem de Ciuitate Aquis contra eius voluntatem, nec consentiat, nec dabit consilium, vel fauorem, quod aliquis homo de Aquis extrahatur de Ciuitate Aquis, nec detineatur inuitus, nec etiam hoc faciet, siue fieri faciet, seu permittet, sed suo posse modis omnibus prohibebit, & quod ipse Dominus Marchio teneatur, & debeat renunciare omnibus ligis promissionibus, sacramentis, & obligationibus, quibus vnquam fuisset astrictus aliquibus inimicis Communis Aquis, & specialiter forensibus Ciuitatis Aquis, & forensibus Alexandriæ, & districtus.

Item quod Commune, & homines Aquis possint se sequandocunq; voluerint regere per Consules dictæ Ciuitatis, & si voluerint habere regimen extrinsecum, possunt, & debeant eligere Potestatem, seu Rectorem quem voluerint de Terra ipsius D. Marchionis, siue de vassallis ipsius, & qui fuerit Potestas vno anno, non refirmari aliquo modo in anno sequenti, nec stare in dicto regimine nisi per annum vnum ipsis, nec aliquis de eius parentella vsq; ad tres annos dando Commune Aquis dicto Potestati salarium ad voluntatem Communis, & alium quem voluerit eligere Commune Aquis cum voluntate ipsius Domini Marchionis.

Item quod dictus Dominus Marchio ipse, vel eius nuncij non possint, nec debeant imponere Communi Aquis, vel imponi facere, vel accipere à Communi Aquis, vel aliqua singulari persona de Aquis aliquo fodrum dacitum mutuum, seu collectam aliquam quocunq; nomine vocentur aliquo modo contra voluntatem Communis Aquis.

Item quod dictus Dominus Marchio, vel eius nuncij non possint, neq; debeant habere, vel accipere successiones, hæreditates, seu bona alicuius personæ decedentis sine hærede ex testato, sed liceat cuilibet personæ de Aquis vendere, donare, alienare, permutare, testari & in vltima voluntate relinquere cui voluerint res, & possessiones suas ad suam omnimodam voluntatem.

Item quod dictus Dominus Marchio non possit, neq; debeat vendere, donare, vel concedere, obligare, aliquo modo alienare ludum Aquense, neq; Iura ipsius ludi alicui personæ de Aquis, vel de extra Aquis aliquo modo, sed dictus ludus debeat remanere Communi & in Commune Aquis, & ad voluntatem ipsius Communis.

Item quod dictus Dominus Marchio debeat absoluere, & remittere Communi, & hominibus Aquis, & cuilibet singulari personæ de Aquis, omnes securitates, obligationes, & promissiones, & omnes contractus, & pactas factas, & promissas, seu datas ipsi Domino Marchioni, vel Domino Reinerio Bastardo suo nomine, vel nomine dicti Domini Marchionis, vel alicui alteri pro eis à Commune Aquis, nec ab aliqua singulari persona de Aquis, seu ab aliquo extrinseco, qui se obligasset, vel fuisset securitas versus prædictos pro aliqua persona de Aquis, & quod omnia instrumenta inde facta sint, & esse debeant vana, cassa, irrita, & nullius valoris, & quod faciat cassari ipsa instrumenta, vel reddi, & restitui illis personis, quæ fuissent obligatæ eidem Domino Marchioni, vel Domino Reinerio Bastardo, vel alicui alij pro eis, & quod faciat, & curabit quod filij q. Domini Reinerij Bastardi non inquietabunt, nec molestabunt Commune Aquis, neq; aliquem hominem de Aquis, nec de extra, occasione alicui securitatis, vel promissionis, seu obligationis factæ Domino Marchioni, vel Domino Reinerio Bastardo, seu alteri pro eis factæ, seu factarum, & quod facient remissionem absolutionem, & pactum de non petendo Communi, & hominibus de Aquis, & omnibus, & singulis de ipsa Ciuitate de omnibus, & singulis prædictis, de quibus fiat publicum instrumentum cuilibet volenti ad maiorem securitatem Communis, & hominum de Aquis, saluo hæredibusq. Domini Reinerij Bastardi omni iure, quod haberet contra aliquam singularem personam de Aquis in contractibus mutui, vel depositi, siue comodati cum carta, & sine carta, & hæredes dicti Domini Reinerij teneantur, & debeant sati facere cuilibet de Aquis cui dictus Dominus Reinerius aliquod dare debuisset aliqua occasione.

Item quod prædictus Dominus Marchio teneatur, & debeat facere, & curare antequam reducat forenses Aquis in Ciuitatem Aquen. quod omnes forenses de Aquis, & quilibet ipsorum faciat pacem, finem, & remissionem, & pactum de non petendo Comuni, & hominibus de Aquis, & cuilibet singulari personæ de Aquis de omnibus iniurijs, damnis, & offensionibus datis vel alicui ipsorum datis, seu factis quocunq; modo realiter, vel personaliter per Commune, & singulos Aquis, vel per aliquã singularem personam de Aquis, & non consentiet, vel fieri permittet aliquo modo, quod eisdem forensibus, vel alicui ipsorum fiat aliqua menda, vel restitutio aliquo tempore, ratione aliqua, vel causa, & quod non astringet, vel astringi faciet,

seu astringi permittet comune, & homines Aquis ad aliquod dandum prædictis forensibus restituendum, vel reddendum eis prædictis causis, nec occasionibus supradictis, & quod ipse D. Marchio non possit, nec debeat reducere forenses Aquis, nec aliquem ex eis in Ciuitatem Aquen. nec in bonis, seu iuribus eorum, nisi facta prius dicta remissione, pace, & concordia, vel pacto de non vlterius petendo vt supra, ita quod de ipsa remissione, pace, & pacto de non vlterius petendo, fiant publica instrumenta Communi Aquis, & cuilibet singulari personæ de Aquis volenti quod si facere recusauerint prædicti forenses ipsi, vel aliquis ipsorum dictus D. Marchio habeat, & teneat eos pro forensibus, & banniris suis, & Communis Aquis, & omnia bona ipsorum perueniant, & peruenire debeant ad d. Marchionem scilicet illorum, qui prædicta facere recusauerint eo saluo quod prædicti forenses facta ipsa remissione, pace, & fine, & pacto de non vlterius petendo, possint redire ad Ciuitatem Aquis in omnibus bonis suis sine eo quod Commune, & homines Aquis, seu alique singulares personæ aliquo modo possint astringi ad aliquid dandum, remitrendum, seu restituendum prædictis forensibus pro damnis, seu pro iniurijs eisdem forensibus illatis.

Item quod prædictus D. Marchio ipse, vel Nuncij eius non possint, nec debeant compellere, vel compelli facere Comune, & homines, siue aliquam singularem personam de Aquis, ad faciendum laboretium aliquod, vel aliqua opera in Castro Aquis, vel circa Castrum Aquen. aliquo modo, nisi de voluntate dicti Communis.

Item quod si Comune Aquis, seu aliqui de Aquis pro aliqua guerra, seu occasione alicuius guerræ caperent aliquos incarceratos, seu aliquos homines, quod illiqui capientur à Comuni, vel ab hominibus de Aquis debeant peruenire in Comune Aquis, & ad dictum Comune, & non ad Dominum Marchionem, saluo si prædictus Dominus Marchio esset, vel eius banderia propria, quod dicti carcerati perueniant ad dictum D. Marchionem.

Item quod prædictus Dominus Marchio non possit, nec debeat punire aliquam personam de Aquis, nec facere iustitiam de aliquo Maleficio, seu delicto facto in Aquis extra Ciuitatem Aquis.

Item quod dictus D. Marchio teneatur, & debeat satisfacere hæredibus q. Besurij, & filijs, & hæredibus q. Peraccij Besurij, & omnibus alijs de Aquis de toto eo, quod eis, vel alicui de Aquis debet, siue quod dare debuit hinc ad vnum annum à die quo intrauerit Ciuitate Aquis.

Item quod dictus Dominus Marchio debear habere in Aquis solummodo banna infrascripta videlicet bannum homicidij, robariæ, incendij, furtorum, proditionis, & falsi commissi; periuriorum, & scrutarum, quæ banna intelligantur, & capiantur secundum formam statutorum, & ordinamentorum Comunis Aquis factorum, vel faciendorum.

Item, quod habere debeat pedagium Comunis.

Item quod dictus D. Marchio habeat, & habere debeat Iurisdictionem, quam habet dictum Comune in Marchionibus de Ponzono, & in alijs Vassallis dicti Comunis, quam Iurisdictionem dictum comune dat, & concedit eidem D. Marchioni ad modum, & formam datam, & concessam per dictum comune retinendo in se comune Aquis, fodra, dacita, & collectas, pascatum, & boschatum, & pedagium per terram dictorum Marchionum de Ponzono, & aliorum Vassallorum comunis Aquis. quæ, quas, & quod comune Aquis habet, vel habere debet, vel habere consueuit in prædictis Marchionibus de Ponzono, & alijs Vassallis comunis Aquis, & omnia alia banna, exceptis bannis superius nominatis, & omnes alij redditus, exitus, prouentus, & gaudie communis Aquis, debeant remanere comuni, & ad voluntatem dicti comunis, & ad dictum comune peruenire.

Item, quod Potestas, & Iudex Ciuitatis Aquis, vel alter eorum teneantur, & debeant cognoscere, audire, sententiare, & diffinire de prædictis bannis in Aquis, secundum formam statutorum, & ordinamentorum Aquis, & cognoscere, & audire quamlibet personam de Aquis, de deffensionibus prædictorum bannorum.

Item quod prædictus D. Marchio teneatur, & debear manutenere, attendere, & obseruare in perpetuum, omnia prædicta, & singula, & nullo iure, modo, vel causa contrafacere, vel venire, & nihil diminuere de honore, Iurisdictione, Imperio, mero, & mixto, potestate, & baylia, quod comuni, quæ comune, & homines Aquis habent, seu habere, & tenere consueuerunt, tam intus Ciuitatē, quā extra, & nulli volenti diminuere, cōsentire, sed ei modis oībus se opponere, & quod non possit aliquod vltra, seu plus, vel de facto in homines, seu contra

homines Ciuitatis Aquis, seu in Ciuitate, vel districtu habere petere, seu acquirere, vel acquistare per se, nec per alium per aliquem modum; nec etiam à communi, seu ab aliquibus offerentibus recipere aliquo modo, seu ingenio, vel causa, qui dici, uel excogitari possit in preiudicium Communis Aquis, & si contra prædicta, seu aliquod prædictorum faceret, vel veniret, vel modo aliquo haberet, acquireret, reciperet, seu peteret, vel faciendum obtineret vltra præter, vel contra prædicta, siue aliquod de prædictis aliquo modo totum sit cassum, irritum, & nullius valoris, & pro casso, & irrito habeatur.

Hoc acto, & expresse indicto, quod dictus dominus Marchio non possit, nec debeat petere, nec habere aliquem regressum, nec aliquam petitionem contra Commune Aquis, occasione alicuius donationis, cessionis, vel alterius iurium acquisitionis ipsi Domino Marchioni factæ, vel de cætero faciendæ ab aliqua vniuersitate, seu Collegio, vel ab aliqua singulari persona. Et hæc omnia, & singula supradicta intelligantur, & attendi, & obseruari debeant secundum purum, & simplicem intellectum litteræ. Quæ omnia, & singula supradicta prædictus Dominus Marchio pro se, & suis subditis, & vassallis, & dicti Sindici nomine dicti Communis, & hominum de Aquis, & districtus sibi ad inuicem attendere, & obseruare, solemni stipulatione promisserunt, & nullo modo tempore, & causa contrafacere, vel venire, & sacramento corporali præstito prædictus Dominus Marchio iurauit, & dicti Sindici similiter iurauerunt, & eidem D Marchioni fidelitatem gentilem nomine dicti Communis fecerunt secundum quod in capitulis fidelitatis gentilis continetur, & proinde ipse Dominus Marchio prædictis Sindicis dicto nomine obligauit pignori omnia sua bona, & ipsi Sindici prædicto nomine ipsi Domino Marchioni omnia bona Communis Aquis, quæ omnia, & singula supradicta Domini Facinus de Tilio, Leo de Sancto Stephano, Iacobus de Gabiano, Iacobus de Ozano, & Nolaschus L'Alzurcha promisserunt, & iurauerunt attendere, & obseruare, & se facturos, & curaturos, quod prædictus Dominus Marchio attendet, & obseruabit omnia, & singula prædicta, sub obligatione bonorum suorum, & inde vnum, & plura Instrumentum super omnibus prædictis, & quolibet prædictorum Capitulorum dictus Dominus Marchio, & dicti Sindici fieri rogauerunt mihi Gulielmo Ghignono Notario Communis Aquis, & Antinoto de prato Notario.

Ego Gulielmus Ghignonus Notarius Palatinus hanc cartam scripsi &c.

